

F R. ALBERTINI  
S C H O T T  
FRANCISCANI  
JUS NATURÆ  
PUBLICUM,  
SEU  
P A R S T E R T I A  
C O M P E N D I I  
JURIS NATURÆ, GENTIUM  
E T  
ECCLESIASTICI PUBLICI.

1 7 8 9.



---

D U S S E L D O R P I I ,  
T Y P I S F R A N C I S C I F R I D E R I C I S T A H L , A U L A E ET  
C A N C E L L A R I A E T Y P O G R A P H I ,

ПРИЧЕРНОГО  
САДА ВЪ МОСКОВѢ  
ВЪ 1871 ГОДУ  
ПИСАНЫХЪ  
ИЗЪ ПАМЯТИ  
МУЖЕСТВА И РАДОСТИ

ПОЧЕМЪ СЛЫШАТЬ  
СЛАВУ О НЕМЪ

ЧИТАТЬ

ЧИТАТЬ ЧИТАТЬ  
ЧИТАТЬ ЧИТАТЬ



# JUS NATURÆ PUBLICUM.

## C A P U T I.

*De occasione, origine, notione, fine  
& effectibus civitatis & imperii.*

### §. I.

*Occasio societatis majoris.*

**T**otum mortalium cœtum, sive omnium humani generis individuorum collectionem si mente volvamus, infinita nobis & universalissima occurrit hominum societas & multitudo. In societate ista informi adhuc & indeterminata spectamus homines à provido autore naturæ adaptatos ad ineundas colendasque societas definitas & proprias rum minores, rum majores, prout singulæ ad promovendum bonum sive privatum, sive commune utiles sunt atque necessariae.

Discussis itaque in parte secunda compendii *Societatibus minoribus*, progressum facimus

cimus ad *Societates majores*, & quidem quoad præsens vel maxime ad civiles; societatem sacram, ejusdémque genuinam indolem & effectus loco designato perlustraturi, ac debitâ ratione exposituri.

Ex multiplicatis societatibus minoribus devenir ad societas majores: multitudo familiarum inducit multitudinem habitacionum, & inde pagi enasci solent, oppida & civitates. Non tamen habitacula, mœnia & urbes pro civitate hoc loco spectamus, sed homines & familias civitatem seu rempublicam componentes.

Quoniam vero aucto præsertim familiarum numero singuli patresfamilias nec sibi suisque prospicere sæpe satis possunt de rebus ad sustentationem & ad perfectionem statûs necessariis, neque etiam per semetippos pares adinveniuntur injuriis, furtis, rapinis aliisque incommodis propulsandis; hinc ad conservandam stabiliendamque securitatem tum privatam, tum publicam, aliorum implorandum erat auxilium, idémque reciprocè polliceri debebant alii: nam vitæ quoad hunc effectum feliciter transigendæ nil obstat magis, quam indigentia rerum, & metus injuriarum; inde enim nec corporis, nec animi, nec statûs externi bona rueri, perficere & augere valemus.

Dum igitur plures patresfamilias in ordine ad sublevandas indigentias mutuas communicant

municant operas & res ex condicō, simul atque ineunt paētum de abigendis injuriis, hostibūsque repellendis, talis oritur societas major, quæ *status anarchicus* audit; in quo quidem singuli jus perfectum habent in singulos, ut nempe in finem felicitatis & securitatis viribus junctis, mutuīsque interveniant auxiliis, quin tamen eorum uni pluribūsve singulare in alios tributum sit imperium; quare societas ista *aequalis* est.

Ad fines præmemoratos re ipsa obtinendos non undequaque sufficiens visus est meritò *status anarchicus*: isthoc quippe in statu debita haud obtinet subordinatio, eo quod ob defectum imperii alter alterius obtemperare jussis non teneatur; quare & enascitur facile, quod ob sententiārum diversitatem, ob studium commodi proprii, ob neglectum æquitatis, justitiæ, aliarūmque virtutum, alter ab altero dissideat, deseratur, atque ad inimicitias & odia non sine magno boni communis dispendio commoveatur.

Quæ cum ita sint, communi opus erat *imperio* in ordine ad propositos fines rite, securè ac stabiliter consequendos; consultum proinde fuit, partem aliquam libertatis & aequalitatis naturalis abdicare, eāmque in commune transferre imperium, ut sic voluntates singulæ, extra imperium dissidentes, sub imperio, interpositâ etiam, si opus foret, vi coercitivâ, concordes efficerentur.

Tali



Tali igitur occasione & ratione ad imperium civile, atque ad societatem & statum inaequalem deveniebatur; in quo nimirum non præpotentia virium, neque petulantia & animorum contumacia, nec ausus effrænati, sed ratio, consilium & competens autoritas bonum privatum ac publicum determinarent & promoverent. — Conficitur, statum civitatis adventitium esse, sive superadditum naturali, non quidem necessariō, seu naturā absolute postulante, sed convenienter, ob motiva præmemorata & alia. Sane, cum homines ipsa adtentā naturā aequales sint (parentalem societatem si exceperis) consequens est, quod cæterarum jura & obligationes societatum naturæ finibus consentanea quidem sunt & adtemperata, non tam connata, sed facto proprio, vel alieno adquisita, id est adventitia.

## §. II.

### Origo civitatis.

**M**otiva civitatem constituendi & imperium, atque resultantia inde jura & obligationes suscipiendi, satis nunc adumbravimus: reliquum est, ut hoc loco nonnulla dicamus de vera civitatis origine. — Primum, quod ante diluvium de civitate occurrit vestigium reperimus in libro Moysis, dum Genes. III. xv. 17. dicitur: “Et ædificavit (Cain) civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii

“ filii sui *Henoch* „. In civitate illa, utcunque forsitan adhuc exigua, speciem quandam Reipublicæ saltem à Caini descendentibus introductam fuisse augurari licet.

Post diluvium quoad rem hanc legimus sequentia *Genes.* 10. v. 8. & seqq. “ *Cbus* genuit *Nemrod*: ipse cœpit esse *potens* in terra & erat robustus venator coram *Domo*, fuit autem principium regni ejus *Babylon*, & *Arach*, & *Achad*, & *Chalanne*, in terra Sennaar. De terra illa egressus est *Assur*, & ædificavit *Niniven*, & plateas civitatis, & *Chale*. Resen quoque inter *Niniven* & *Chale*: hæc est ci-“ vitas magna „.

Antiquiores quoque profanas si confusamus historias, varia civitatum regnorūmque initia in iis deprehendimus: aliæ nimirum ex libero & mutuo concernentium consensu, aliæ ex superna dispositione & designatione imperantium, aliæ ex vi & potentia, aliæ ex aliis dimanarunt fontibus; ita, ut non unica eadēmque omnium civitatum fuerit origo.

Fundamentum societatis, proin & civitatis, consistere in primigenijs nobisque connotatis facultatibus ad ineundas & colendas societates reliquas sive minores, sive majores aptis & adcommodatis, observavimus in ipso juris socialis exordio. Fundamentum istud,



istud, sive facultates illae una cum mediis adnexis considerari proinde possunt sub ratione societatis universalis latissime patentis, cui residuae cunctae, tanquam adventitiae seu hypotheticae inaedificantur. Ex quo fit, quod jus & origo civitatis & imperii a natura non absolutè præcipiatur, sed tanquam consenteum & utile naturae finibus bonoque communis passim & privato adprobetur: igitur origo civitatis ad jus ipsum naturae comparata, non est absoluta, sed hypothetica.

### §. III.

#### *Civitatis Notio.*

Occasionem & originem civitatis delineavimus: reliquum est, ut & distinctam ac perspicuam illius notionem sive ideam suppeditemus. — Rectè igitur describitur *civitas*, quod sit cœrus hominum, qui sui quidem originariè juris sunt, adtamen ob motiva competentia sub alicujus imperio confiantur. — Salva quidem quoad substantiam in civitate manet colligatorum libertas naturalis; restringitur ipsa tamen sive diminuitur ob fines certos atque proficuos, quos familiæ dissociatæ & extra civitatem existentes adringere non possent ac prosequi.

Membra civitatis, seu, uti loquuntur alii, materia sunt omnes Rempublicam constituentes, adeoque tam *imperantes*, quam *sub-*

subditi: tenentur ergo singuli, et si sub diverso respectu, promovere commune bonum: unusquisque nimirum pro ratione status sui & officii. — Imperantibus incumbit, tanquam legislatoribus æquis & justis, subditos talibus suffulcire ac præmunire legibus, per quas tam privatum, quam commune subditorum bonum re ipsa intenditur ac promovetur, debentque quæ veri patres patriæ omnimodè conniti, ut populorum sibi concreditorum prosperitas & salus sive perse, sive per suos subordinatos præpositos obtineatur atque consolidetur. Insuper curare debent imperantes & competentia adhibere remedia, ut non solum leges latæ ab ipsis, verum etiam leges naturales & divinæ à subditis ob serventur; & qua advocati ecclesiæ jura illius tueri, ejusdemque leges ineulcare tenentur. Sancta hæc imperantium obligatio non consistit in externa quadam nudaque politia; sed ipsam penetrat animam, & intima viscera conscientiæ ligat arctissimè. — Rectè igitur circa hoc objectum concludit in sua *Politica* §. 295. Eduardus Job. in modum sequente: “ Hinc patet error Machiavellistarum, qui principem omni obligatione internâ solvunt, speciem virtutum moralium commendant, illas & religiosas pro medio solum habent privatas principis commoda promovendi, finesque propositos obtinendi. „ Subditi porro iustis imperantium legibus plenam ex ipso jure naturæ tenentur exhibere obedientiam,

tiam , eösque , qui in ipsorum favorem imperium tenent , revereri ex affectu simul & in effectu , & sub justa proportione ea interponere media , quæ ad reipublicæ prosperitatem & conservationem sunt necessaria ; qui enim vult finem , nempe reipublicæ salutem , velle debet & media in hunc finem requisita . Porro obedientia præstanta est à subditis non ob solum metum pœnarum , aut propter solam spem remunerationis ; sed ex sinceris conscientiæ affectibus ; idquod etiam expendit & urget Apostolus *Rom. XIII. 5.* inquiens : “ Subditi esto “ te , non solum propter iram , sed etiam “ propter conscientiam . ”

Præterea membra Rempublicam constituenta sub alio adhuc respectu considerari possunt , & hæc in tres classes dividit *Cl. Zillinger* his verbis : “ Alia est classis quæstus , continens agricolas , mercatores , opifices , aliósque ea procurantes ac inferentes in civitatem , quæ necessitati vitæ , communitati , atque honestæ voluptati idonea sunt : altera est classis Senatoria , complectens magistratus , ministros religionis , eosque , qui plus temporis atque operæ scientiarum ac sapientiæ studio , quam manuum labori tribuunt : tertia est classis militaris , complectens eos , qui armis ac vi hostes internos & externos arcent , cohabant , expellunt . ” Lib. III. J. N. pub. §. CXCVI .

## §. IV.

### *Civitatis finis & effectus.*

**O**mnis rectè atque cum ratione sufficiente operans, certum debitumque sibi finem præstituit, & competentem intendit effectum, ad cuius adsecutionem requisita adhibet media. Illi igitur, qui civitatem constituunt, atque ejusdem membra sunt aut imperantia, aut obtemperantia, finem quoque respiciunt, atque speratum intendunt effectum.

Quemadmodum Societatis, ita & civitatis finis generatim consistit in felicitate concernentium universorum; quilibet enim cupit esse felix, ideoque hanc vel istam init societatem, in qua felicitatem intentam maiore cum spe & fundamento exspectat. — Proximior verò civitatis finis passim constitutur in *securitate* civium: homines quippe multiplicati numero, propriumque potissimum sectantes commodum, si nullis imperantium legibus continerentur in officio, securitas publica & privata subsisteret neutriquam. — Finis iste si reipsa adtingatur, sparsatus civitatis effectus præ manibus est, subsecura nimirum & constabilita totius mystici hujus corporis salus atque securitas; quem proinde in finem & effectum vires coadunare suas tenentur universi, nempe tam subditi, quam imperantes; et si id ipsum præcipuò



cipuò incumbat imperantibus ex officio. Ut porro securam & tranquillam vitam agamus, obsecrations ad Deum interponendas esse monet apostolus I. Timoth. II. i. 2. his verbis: "Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrations, orationes, postulariones, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate ,.

## CAPUT II.

*De notione, origine, divisione & proprietatibus potestatis civilis.*

### §. I.

*Notio potestatis civilis.*

Constituuntur civitates, ut finis præstitus, atque intenta felicitas securius adtingatur & aptius. Ad finis hujus consecutionem vel maximè idonea est civilis potestas & imperium, vi cuius Reipublicæ salus obtinetur, conservatur ac promovetur: nam

*Imperium civile* est jus perfectum actiones subditorum per media competentia dirigendi ad rectum finem civitati præstutum. — Summum istud in civitate imperium, seu

seu perfecta cives gubernandi potestas nuncupari solet *Majestas*; unde & jura profluunt *Majestatica*.

Tres potissimum species potestatis generatim sumtæ expendimus in *Jure sociali* Cap. I. §. III. — Has in regimine civili speciatim obtainere, suosque diversos fortiri effectus, ex tradita alibi earum notione patescit; quis enim sapientum ignorat, quod in regimine civili utiliter & necessario vigeat *primo* potestas *legislativa*? Profectò consociata membra politici & moralis corporis hujus ad fines suos rite determinari nequeunt, nisi capiti eorum provisum sit de potestate certis illa directionibus inflectendi, debitisque legibus gubernandi, præmunendi. — Huc pertinet ex parte imperantis *jus strictum* ac perfectum *præcipiendi* ac *prohibendi*; cui proinde ex parte subditorum correspondet *stricta* & *perfecta obligatio* justis legibus *obtemperandi*, utpote quæ à legirimo & competente eorum Legislatore conditæ sunt in ordine ad communem felicitatem promovendam & constabiliendam. — Huc quoque pertinet ex parte imperantis potestas dispensandi, privilegia impertiendi, eximendi &c. quæ quidem singula spectant ad jura *majestatica*, quæ vocantur *immanentia*, quia in ipsis corporis istius politici limitibus continentur, & intra limites istos conquiescent. — Verum præter jura hæc immanentia existunt & alia, quæ *transeuntia* nuncupantur, quia ex-



extenduntur etiam ad Respublicas, nationes ac gentes alias, quæ alia separata corpora politica constituunt. — Huc igitur pertinet *jus indicendi bellum, ineundi pacem, fædera erigendi firmandi que.* — *Regalia* hæc sunt jura; & *majora* quidem, si ex ipsa notione & fine civilis imperii per se se profluant, ipsique imperantis potestati sint intima; *minora* verò, si proficiscantur ex tacito vel expresso populi consensu, sive aliis deum idoneis ac legitimis adquisita sint modis.

Per spicium est secundo, quod in civili quoque regimine utiliter & necessariò vigeat potestas *inspectoria*; enimverò quis non intelligit, civium securitatem, felicitatem, & salutem Reipublicæ sartam tectam conservari non posse, nisi ex parte Regentis attendatur, inspiciatur & examinetur, quid ex parte cuiuslibet membra concernentis in separato, atque ex parte cumuli totius aut agatur aut omittatur pro bono civitatis, quinam porro legum sint observatores, & quinam prævaricatores earundem? Profectò si imperans debitâ non polleret auctoritate in civium facta ad curatius disquirendi, ea quoque dijudicare nequirit, collaborereturque eo ipso potestas quoque legislativa, penitusque redderetur inefficax.

Regentis igitur cuiusque boni est, tum per se, tum per suos legitimè subordinatos habere oculos intentos ad illud omne, quod in

in Republica agitur, ac cautè sollicitéque circumspicere, investigare & ponderare *an* & *quomodo* à suis concreditis Reipublicæ salus intendatur, promoteatur. Pariter invigilare tenetur in pericula tum interna, tum externa, quæ imminent morum honestati, civium saluti sive quoad bonum animæ & corporis, sive quoad bonum famæ & fortunæ. Curandum omnimode, ne pauperes vel maximè occulti fame tabescant & inedia, & ne divites ad luxum deflestant & prodigalitatem: ne vitiis janua aperiatur, virtutibus autem præcludatur: ne suppressantur innocentes, nocentibus autem fræna laxentur: dispiciendum denique, qua ratione pax conservari, subditorum bona & jura contra invasores tum privatos tum publicos constituti valeant.

Manifestum est *tertio*, ad regimen etiam civile rectè ordinatum pertinere indispensabiliter potestatem *executoriam* & coercitivam: frustra quippe leges feruntur, frustra indagatur in observatores, aut prævaricatores earundem, nisi & legislatori provisum sit de auctoritate & mediis leges ad utilem & necessarium effectum deducendi. Ad quid leges, ad quid causæ inspectio & cognitio, si speratus non possit per media idonea & efficacia impetrari effectus?

Necessum est igitur, ut imperans una cum potestate judicaria, seu cum jure subditorum



ditorum controversias decidendi, potestatem quoque habeat conclusa deducendi ad effectum, & coercendi puniendique refractarios, simul atque ex opposito modis ad temperatis remunerandi illos, qui æquis & justis legibus & obtemperant, & singularem pro salute Reipublicæ conferunt operam. — Ad potestatem coercitivam quoque pertinent jus armorum, ac jurisdictione criminalis. Pariter ad potestatem executoriam reducitur jus imperantis circa officia & dignitates; veluti jus erigendi tribunalia, collegia, Dicasteria &c. jus item instituendi ministros, consiliarios &c. qui publicis occupantur negotiis, & cum justa ad Regentein subordinatione ea determinant, per quæ Reipublicæ salus sive privata, sive publica promovetur ac consolidatur.

## §. II.

### *Origo potestatis civilis.*

**D**e origine Majestatis sive civilis imperii disseruntur, id hoc loco præmittendum duximus, quod ea in causa generatim statuit & explicat Apostolus *Rom. XIII. v. 1. seqq.* videlicet: “Non est potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit..... Principes non sunt timori boni operis, sed mali..... non sine causa gladium portat (*Princeps*) Dei enim minister est. vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo

“ Ideo necessitate subditi estote, non solùm  
 “ propter iram, sed etiam propter conscienc-  
 “ tiā; ideo enim & tributa præstatis; mi-  
 “ nistri enim Dei sunt, in hoc ipsum servi-  
 “ entes. Reddite ergo omnibus debita: cui  
 “ tributum, tributum: cui vectigal, vecti-  
 “ gal: cui timorem, timorem: cui honorem,  
 “ honorem. ”

Docet itaque Paulus, omnem potestatem  
 esse à Deo, quin tamen explicatius dirimat  
 id, circa quod permulti Doctores ævi nostri  
 tantopere occupantur atque desudant, etsi  
 forsitan majore cum labore ac solicitudine,  
 quam utilitate, necessitate & fructu, videli-  
 cet: an civilis potestas profluat à Deo *im-  
 mediatè*, vel dñntaxat *mediatè*. Sane, sive  
 primum statuatur, sive secundum, potestas  
 ista divinitus collata recteque intellecta & ad-  
 plicata effectum operabitur omnino eundem.

Potestatem *Sacram* tributam esse ecclesiæ  
 à Deo *immediatè*, nemo ignorat, atque idip-  
 sum in sacris paginis N T. manifestè conti-  
 netur. Sic *Iesus Matth. XVI. v. 18.* & seqq.  
 Petrum ita alloquitur: “ Ego dico tibi,  
 “ quia tu es Petrus, & super hanc Petram  
 “ ædificabo ecclesiam meam, & portæ infe-  
 “ ri non prævalebunt adversus eam. Et ti-  
 “ bi dabo claves regni cœlorum. Et quod-  
 “ eunque ligaveris super terram, erit ligatum  
 “ & in cœlis; & quodcunque solveris super ter-  
 “ ram, erit solutum & in cœlis. ”



Designando videlicet, quod ipse (Jesus) potestatem hanc sacram *immediatè* tribuat Petro, & legitimis ejus successoribus in ecclesiam universam, atque in membra illius singula, quorum utpote omnium sine exceptione ulla, constituitur visibile caput, seu Christi Vicarius cum jurisdictione necessaria ab hoc fonte divino *immediatè* dimanante.

Potestatem sacram *ex post immediatè* quoque tribuit Christus discipulis suis Matth. XVIII. v. 18. “Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo. „ *Immediatè* inquam; adtamen *subordinatè* ad universalem illam & principalem potestatem, quam præviè soli contulerat Petro, utpote in quo universalem suam Ecclesiam tam firmiter ædificaverat, ut ipsæ etiam portæ infernales contra eam prævalere potuerint nunquam gravissimis etiam inattentis adgessionibus, neque prævalituræ sint imposterum.

Potestatem hanc *immediatam* esse, simul atque *subordinatam*, nulli subjetat discriminationi: videmus namque in humanis etiam rebus, potestatem sæpe à principibus conferri *immediatè* consiliariis, officialibus &c.; veruntamen cum subordinatione ad altiores præpositos. — Profectò, si ullâ in societate subordinationio fuit necessaria, in societate sacra, sive in *toto Ecclesiæ corpore ea vel maximè requiebat;*

rebatur; isto enim in morali corpore, cuius caput invisibile etiamnum est Christus, integrimus ordo subsistere debet, quem tamen sine subordinatione frustra inquisiveris. Insuper in tanta rerum gerendarum, explanandarum & determinandarum ponderositate ac multitudine, & quidem sub unitate doctrinæ relate ad omnes Christi fideles, opus omnino fuit subordinatione legali omnium sive majorum sive minorum ad supremum aliquod caput visibile, quod totum regeret corpus, ac propriâ in idipsum, omniaque illius membrâ jurisdictione gauderet. Sanè, subordinatio ista si non subsisteret, in rebus dubiis gravissimi etiam momenti tot orientur sententiæ, quot essent capita; adeoque unitati Ecclesiæ Dei sat validè provisum non esset à fundatore ejus Christo Domino; quod nemo dixerit. — Hæc per modum *incisus* hoc loco commemorasse sufficiat; propria enim hujus rei sedes locum habet in jure ecclesiastico publico; ubi de hoc uberioris.

Legimus item in paginis V. T. quod Deus ipse nonnullos constituerit Reges: v. g. Saulem I. Reg. X. V. i: “Ecce! unxit te D<sup>o</sup>minus super hæreditatem suam in principem.” — Et Davidem I. Reg. XVI. vv. 12. 13. “Et ait Dominus surge, unge eum, ipse est enim. Tulit ergo Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ejus: & directus est spiritus Domini à die illa in David & deinceps.”



Illud porro notandum , quod ex notione  
juris *æqualitatis naturalis* dilucidè profluat , im-  
perantium potestatem ex indole sua non per-  
tinere ad jura *connata* , sed ad jura *acquisita* .  
Dignitates itaque , eisdemque adnexa jura aut  
jurisdictiones non ad connatum , sed ad  
adventitium pertinent statum ; eum nempe ,  
qui tractu temporis acquiritur facto proprio ,  
vel alieno .

Imperantes igitur , qui humanâ etiam ope-  
râ , ad præminentibus hasce elevantur digni-  
tates , eoipso , quo *legitimè* hunc adsecuti sunt  
statum , potestatem nanciscuntur ab eo ,  
à quo est omnis potestas , à Deo videlicet ,  
qui tribuit omnibus media ad præstitu-  
tum finem rectum necessaria : manifestum est  
autem , quod ad gubernationem talem , per  
quam subditorum felicitas seu Reipublicæ  
salus quæritur & obtinetur , necessaria sit ex  
parte Regentis debita imperandi potestas :  
providus namque naturæ Auctor rectum in  
societate humana intendit ac diligit ordinem ,  
proinde iis , qui *legitimè* instituti sunt Regen-  
tes aliorum , requisitam non potuit non con-  
tribuere regendi potestatem . Quamvis ergo  
ab hominibus sæpe feligantur imperantes ; ad-  
tamen debitè lectis , aut alio justo titulo con-  
stitutis , Deus competentem elargitur regendi  
potestatem .

Circā præsentem materiam Zallinger Lib.  
III. Jur. Nat. pub. Cap. II. §. CCIV. in modum  
loqui-

loquitur sequentem: "Si Majestas non in se &  
 " absolutè, sed subjectivè consideratur, quate-  
 " nus inhæret in certò subiecto, id subiectum  
 " à Deo & natura determinatum non est,  
 " sed per pactum unionis ac subjectionis de-  
 terminatur; ac si populus per pactum unio-  
 " nis in Democratiam coiisse, indeque tran-  
 " fire ad statum aristocraticum vel monar-  
 " chicum, haud ægrè intelligitur, quo mo-  
 " do Majestas à populo transferatur ad pau-  
 " cos vel ad unum; neque tum ulla adpa-  
 " ret sufficiens ratio recurrendi ad Deum  
 " tanquam proximum collatorem summi im-  
 " perii; quia & populus tum ipso hoc sum-  
 " mo imperio gaudet, tum etiam jure illud  
 " transferendi ad paucos, vel ad unum. Si  
 " verò statum civilem ab ipsa aristocracia,  
 " vel monarchia ordiri ponas, ita, ut pa-  
 " tresfamilias non aliter in unionem consen-  
 " tiant, nisi se subjiciendè paucis vel uni,  
 " rum in optimatibus, vel in monarcha tan-  
 " quam subiecto inherit Majestas, quæ prox-  
 " imè à populo non provenit, sed remotè  
 " ac mediatè, nempe vi pacti subjectionis,  
 " cui per naturam ejus statûs etiam sum-  
 " mum imperium responderet. Erit igitur  
 " Majestatis causa mediata, remota, aut po-  
 " tius ministerialis à subjectione populi; proxi-  
 " ma verò à Dei voluntate repetenda. "



### §. III.

#### *Divisio potestatis civilis.*

**R**ectè dividere potestatem civilem, idem est, ac determinare atque expendere varias imperii seu regiminis formas. Tres potissimæ formæ regiminis obtinent, *Monarchia* videlicet, *Aristocracia* & *Democratia*. Quælibet hærum ratio basisque formarum, rectè intelligenda venit nomine *legis fundamentalis*.

Subjectum, cui inest regendi potestas, est una persona aut *physica*, seu unicum individuum, aut *moralis*, dum nempe apud plures numero quidem distinctos, representatione tamen seu moraliter eosdem atque unitos imperandi facultas existit. — Quodsi igitur apud unicum inviduum, seu apud unam personam physicam resideat imperandi potestas, *Monarchia* locum habet, & imperans iste jure *Monarcha* vocatur. — Si verò potestas illa pluribus sit tradita optimatibus, *Aristocracia* obtinet. — Si denique roti morali corpori, populo nimirum, seu singulis patribus familias potestas illa adhærescat, *Democratia*, seu regimen *populare* vocatur.

Istæ regiminis formæ puræ esse possunt, si nempe quælibet earum excludat alias; si verò & simul partem formarum aliarum involvant, mixtæ nuncupantur; uti si regimen monarchicum sit aristocratico temperatum. Porro

Porro imperium illud, cuius exercitium nullo alio limite, v. g. statuum, est restrictum, *absolutum* audit: *limitatum* verò, seu minus plenum, si jura suprema sine certo modo per pacta & leges fundamentales adjecta exerceri nequeant. — In *Monarchia absoluta*, constitutio principis propriæ legis nomine venit: in *Aristocratia* vocari adsolet *Senatus Consultum*, *Magistratus edictum*: in *Democratia omnigena plebis citum* nominatur.

Hoc quoque loco recensendi sunt sic dicti *Monarchomachi*, qui duplēm excogitavere Majestatem, seu majesticam potestatem, quarum unam *realem*, alteram *personalem* vocitant. Potestatem *realem* tribuunt populo, contendentes, eam durare semper, ac potiorem esse potestate *personalī*, quæ sola *imperantibus* competeteret tanquam res transitoria. — Hujus ineptia hypotheseos vel ex eo patescit, quod communi Reipublicæ bono non tam faveat, quam noceat; subditis enim tribuit imperium, & imperantibus subjectionem, & sic tollendo subordinationem tanto-perè necessariam, sus deque omnia vertit imperia.

Quoad temperaturam potestatis in exercitio per *limites pacitios* relatè ad eum, qui summum etiam tenet imperium, non tam meam, quam cl. Zallingeri Lib. III. Jur. nat. pub. §. CXCIX. consignata m refero sententi-



am: " Possibilitatem limitis pactitiū impug-  
 " nant eo ex capite, quod is, qui summum  
 " imperium tener, nec possit, nec velit ca-  
 " rere mediis ac juribus necessariis ad finem  
 " civitatis obtinendum; ergo dum imperium  
 " acceptat, jura imperii, non obstante pa-  
 " etorum limite, pro re nata liberè exer-  
 " cet. — Respondeo (*pergit Zallinger*) de  
 " ipsa necessitate agendi quidquam, seu im-  
 " perium exercendi primò judicandum est,  
 " idque judicium spectat ad eos, in quorum  
 " consensu limes pactitus situs est; utrum-  
 " ne civium & civitatis interfit, consentire,  
 " nec ne, aut de jure per expressum pactum  
 " quæsito aliquid relaxare, ipsi judicabunt.  
 " Igitur, qui limitatum imperium accepit,  
 " absoluto uti non potest, neque prætextu  
 " necessitatis ad remedia expresso pacto de-  
 " negata recurrere. Certe imperans civilis  
 " non plus juris accipit, quam ei per pa-  
 " ctum subjectionis à populo tributum est.  
 " Si ergo jus imperii absolute tributum non  
 " est, sed sub modo, aut formâ substantia-  
 " li, quæ actui præscripta est per leges fun-  
 " damentales, sequitur, ut absolutum im-  
 " perium exerceri non possit. Incommoda li-  
 " mitis, quæ certis temporibus enascuntur,  
 " judicio limitantium per alia compensantur  
 " commoda, quæ idem limes aliis tempori-  
 " bus adfert, vel per incommoda, à quibus  
 " cives tutos præstat. Actum contra limi-  
 " tem pactitum, & contra leges fundamen-  
 " tales gestum, simpliciter invalidum censer

" Martini. . . . . Tandem in fine hujus di-  
 scursus Zallinger addit. " Status imperii Ro-  
 mano-germanici per Art. XVI. §. 11. &  
 Art. XXX. §. 6. capitulationis Cæsareæ in  
 eam inducuntur opinionem, ut contra pro-  
 missa jurata ejusdem capitulationis nequi-  
 dem sub prætextu salutis vel necessitatis  
 publicæ quidquam validè agi posse sibi  
 persuadeant. "

## §. IV.

*Commoda & incommoda cuiuslibet formæ regiminis.*

**T**ribus potissimum imperii formis recensitis, varia de commodis earum atque incommodis dicenda restant; ubi tamen notandum præviè, distinguendum esse inter incommoda civitatum, quæ ex ipsa regiminis forma hinc inde enascuntur; & inter incommoda seu potius vitia morbōsque morales civitatis, qui non tam ex forma regiminis, quam ex defectu tum imperantium, tum obtemperantium suboriuntur; posteriora namque mala hominum malitiæ ac cupiditati, priora verò ineptæ ipsi civili constitutioni adjudicanda veniunt, veluti dum constitutiones obtinent, quæ per se se turbis internisque motibus ansam præbere sunt natae.

In statu democratico stricteque populari summam potestatem residere apud totam ci- vita-



vitatem sive omnes cives *collective* sumtos patet ex tradita superius Democratiæ definitio-  
ne : unde & elucescit , democraticam regi-  
minis formam proximius ad libertatem na-  
turalem accedere . — Consectarium est , quod  
cives democratici *seorsim* spectati jure non  
gaudeant majestatico , imò lasæ majestatis  
rei effici possint , etsi quandam Majestatis par-  
ticulam habere videantur .

Cùm igitur in Democratia *absoluta* seu sim-  
plici , universa civium multitudo communi-  
suffragio decernenda decernat , adeoque mul-  
titudo hæc , seu totum istud politicum cor-  
pus moralem unam voluntatem repræsentans  
majestatica exerceat jura ; consequens est , ut  
universus hic populus in comitia confluat ,  
locus proinde statuendus , fixique dies , queis  
de negotiis ponderandis atque decidendis de-  
bita ratione tractetur ; quare & constituendi  
sunt officiales , qui occurrentia expediant ne-  
gotia , & comitiorum conclusa mandent ex-  
ecutioni ; adtamen non suo , sed populi no-  
mine , Democratia proinde salvâ .

Formæ democraticæ *commoda* passim re-  
censentur sequentia : conservatio potior æqua-  
litatis , minus ligatum exercitium naturalis  
libertatis , denique exceptio & securitas con-  
tra leges & onera magis rigida .

Inter *incommoda* huc spectantia meritò re-  
fector primitus , quod in multitudine sit con-  
fusio .

fusio. Dein, quòd consilia tarda sint sæpius,  
 & non raro temeraria , aut privatæ adtem-  
 perata utilitati. Quòd conclusa facile pro-  
 palentur tempore indebito , ipsisque etiam  
 hostibus communicentur &c. Addit *Gribner*  
*Lib. II. c. v. §. II.* “Domesticum malum hu-  
 “jus formæ sunt seditiones, factiones, tu-  
 “multus: unde facile in Monarchiam, faci-  
 “lius in Aristocratiam, aut mixtam Rempu-  
 “blicam degenerat ; aliquando & in natu-  
 “ralem statum, dissoluta compage, recidit. ,”

Democraticos morbos pressè & nitidè ex-  
 hibet *Zallingerus Lib. III. Jur. Nat. pub. Cap.*  
*II. §. CCI.* ubi ait : “ Morbi Democratiæ  
 “sunt, si cives interius motibus distraicti in  
 “commune non consulunt : Si homines inepti  
 “ac turbulenti opiniones suas feraci perti-  
 “naciâ tueri satagunt : Si leges desultoria  
 “levitate figuntur, ac refiguntur : Si , qui  
 “in administrationem negotiorum electus  
 “est, popularem libertatem paulatim absor-  
 “bet, aut qui opibus prævalent , summam  
 “Reipublicæ paulatim adtrahunt , aut ipse  
 “populus excussis legibus , judiciis, comi-  
 “tiis, in *Ochlocratiam* seu *turbulentiam popu-*  
*larem* prolabitur. ,”

In statu *aristocratico* summa potestas restrin-  
 gitur ad optimates , videlicet ad primores &  
 Proceres populi , senatorumque collegium:  
 cum verò diversa sint democratici regiminis  
 genera , hinc determinatus ac stabilis opti-  
 matum



matum numerus decerni nequit. Porro quædam respublicæ perpetuos, quædam temporarios annuosque magistratus habent; insuper optimates aliqui jure electivo creantur, alii jure succedunt hereditario, prout nempe diversa est Aristocratiæ ratio. — Illud quoque in hac regiminis forma præcipue in politicis locum habere potest, quod uni præ aliis conferatur prærogativa honoris; per quod efficitur *primus inter pares*, determinaturque ad potissima expedienda negotia, etsi seorsim spectatus summâ potestate reipsa non gaudeat. — Utrum juxta Boehmerum ex monarchia, num verò juxta Gribnerum probabilius ex Democratia ortum habeat Aristocracia, nostra parum interest; sufficit indolem ejus nosse & adjuncta.

*Commoda* Aristocratiæ perstringuntur sequentia passim: nata à republica communis libertas major & æqualitas: sperata ab optimis compluribus amplior judiciorum cumulus atque maturitas: denique suavior ci-vium gubernatio.

Aristocratica *incommoda* etsi tanta non sint, quanta democratica, varia tamen sunt, quæ & hæc premitur forma: generatim factionibus facile scinditur, ita etiam, ut novis quandoque opus sit mutationibus constitutio-nib[us]que etiam fundamentalibus. Morbi porro hanc aliquando inficiens formam ferme insanibiles evadunt, si optimates tum ex Zelotypia, tum ex ambitione honorum & officiorum vel retinendorum, vel acquirendorum

dorum in veteratum concipient odium ; si mutuis machinationibus & se se, & de prompta consilia infestentur ; si que cives ab optimatibus ceu despota regantur, legibus fundamentalibus penitus in exilium missis, aut si e contra populus auctoritatem Senatus invadere & evertere, sibi adtribuere, vel negotia publica ad generales conventus irregulares revocare haud pertimescat.

In statu monarchico sceptrum seu potestatem summam tenet & exercet persona singularis una, quae recte *Monarcha* vocatur : uti sunt Imperatores, Reges, Duces, Principes, aliæque hujus ordinis personæ sublimes. — Potest tamen in eadem ditione locum quandoque habere condominium, sive *Dyarchia*, quando videlicet summa potestas simul competit imperantibus duobus : ast tunc non tam monarchia, quam aristocracia resultat. — Monarchia, in qua imperanti delegata est summa potestas illimitata, nullisque specialibus adligata pactis, *absoluta* nuncupatur & pura, atque in hac summis imperans iura majestatica exercet liberè penitus : Regnum e contra *limitatum* ac monarchia temperata est, ubi ordines & status, ubi capitulationes, ubi leges fundamentales & pacta exercendis juribus majestaticis moderamen adjiciunt. — Repræsentat ergo Monarcha totum, cui præest, gregem ; quia tamen Rex non qualicunque sua actione universitatem repræsentat ; hinc alias vocant *actiones regias*, alias

*alias actiones regis*: in prioribus namque regia exerceatur iurisdictio, non item in posterioribus.

*Commoda Monarchiae*, quæ cæteras regiminis formas probabilius antiquitare, præfecto autem dignitate, ordine & potentia superat, plurima adinveniuntur. Principalior consociatorum finis, securitas nempe publica, & pax interna in monarchiis recte ordinatis attingitur facilius, stabiliusque custoditur; media enim huc facientia magis sunt in promptu & magis commodè impenduntur. Porro mysticum corpus, quod ab uno præcellente regitur capite, magis digestum cōpositumque servat ordinem membrorum, quam illud, quod gubernatur a capitibus multiplicatis numero & sententiâ, & auctoritate paribus. Consilia & conclusa remanent occulta magis, ac statu tempore celeriori mandantur expeditiōni & executioni. Vitia castigantur efficacius, & bene de patria meritis ad remunerationes campus patescit amplior. Denique *Subordinatio*, omnium statuum anima quasi princeps, firmiorem nullibi, quam in Monarchia sedem haberet.

*Incommoda* huc spectantia esse dicunt, maiorē, quam in formis aliis, libertatis naturalis jacturam, si tamen libertas apta ratione restricta morale incommodum recte nuncupari possit: item legum frequentiorem innovationem ob brevitatem vitæ imperantium,

um, & succedentium voluntatem æternam; quo ex capite novas etiam & novas statûs civilis immutationes non raro sine incommodis concomitantibus reposcunt alii. — Imperans, si male consulat subditis, juribus suis abutendo; si que ex opposito incumbentibus officiis & obligationibus non satisfaciant subditi, in Monarchiam morbi introducuntur. Regentes propter populum, non item populus propter Regentes esse passim adseritur: itaque si imperans, utpote qui juribus gaudet majesticis atque regalibus propter felicitatem subditorum, præterea sibi adjudicet dominium proprietatis in res & operas eorumdem, depotismum creare censetur. — Possibile est etiam, quod stricta Monarchia in Tyrannidem degeneret; verum privatorum certè non est determinare, utrum aliquis Tyrannus sit exercitio nec ne: anfractuosa hæc est res, magnisque implicata difficultibus, in qua enodandâ ac figendâ optimus quisque hallucinari potest.

Denique inter illos, qui majesticis imperantium juribus grave nituntur infligere vulnus, cl. Zallinger Lib. III. Jur. Nat. publ. C. II. §. CCIII. etiam numerat illos (abs dubio ob paritatem rationis) qui supremam in ecclesia Auctoritatem impetunt, dicitque:  
 "Exitialia Monarchiæ & juribus majesticis imperantium principia passim jaçtant  
 "ii, qui pontificiam in ecclesiâ auctoritatem infringere, & concilia supra Papam adtol-



“ adtollere adlaborant. Istiusmodi principia  
 “ sunt: omnibus perfectis communitatibus, & ci-  
 “ vili societati prius, immediatus & essentialius  
 “ competit, ut seipsum gubernet, quam alicui ho-  
 “ mini singulari, ut totam societatem & com-  
 “ munitatem regat. Quamvis populi consensu  
 “ jus omne & potestas translata sit in Regem;  
 “ tamen respublica semper habitu retinet potestas  
 “ tem; hinc aliam esse majestatem personalem  
 “ quæ imperanti inhæreat, aliam realem, quæ  
 “ penes populum maneat. „ Videſis, quæ  
 nos supra de monarchomachis diximus.

Tres enumeratæ potissimæ regiminis for-  
 mæ igitur aut puræ esse possunt, aut mix-  
 tæ; reipsa autem rarius inveneris puras,  
 quam mixtas obtinere regiminis formas: pro-  
 miscuè namque Monarchia temperatur Ari-  
 stocratiâ, & Aristocracia ut plurimum non  
 paucas inspersas habet particulas Democrati-  
 cas. — Ad quæſtionem, quænam ex his tri-  
 bus regiminis formis perfectior sit, & apta  
 magis ad fines societatum obtinendos atque  
 conservandos? responderi potest, cuilibet  
 formæ suas inesse prærogativas ex una, sua-  
 que incommoda ex altera parte, veluti con-  
 ficitur ex iis, quæ hucusque retulimus. Ve-  
 rūm pensatis comparatisque singulis in hanc  
 rem influentibus, Monarchia ad fines præta-  
 Etos aptior esse videtur, adeoque præstantior  
 reliquis, & vel maximè, si Monarchia tem-  
 perata sit per præstantiores Aristocrotiae  
 particulas. — Sanè Christus Dominus suam  
 fundans

fundans ecclesiam non aliam , quam perfec-  
tissimam regiminis formam in eam indux-  
isse omnino censendus est : atvero formam  
regiminis à Christo pro ecclesia sua univer-  
sali introductam fixamque esse monarchi-  
cam aristocratiæ temperatam , boni quique  
facilè elargientur , qui visibili ecclesiæ capiti,  
veròque vicario Christi Jurisdictionem non  
denegant immediatam in omnia , quæcunque  
demum , ecclesiæ membra ; ita tamen , ut &  
præfules reliqui in greges suos particulares  
immediatam erit , tamen supremæ & univer-  
sali subordinatam jurisdictionem habeant.

## CAPUT IV.

*De modis imperium civile acquisi-  
rendi & amittendi.*

### §. I.

*Determinantur modi varii civile imperium  
obtinendi.*

Discussis nunc iis , quæ tum ad notionem  
& originem civitatum , tum ad perspicuam  
ideam , originem , distributionem & affectiones  
civilis imperii spectant , ordine quoque  
distincto investigandum venit atque dimeti-  
endum , quinam genuini sint fontes , è quibus  
potestas ipsa civilis hauritur ; quique sint  
modi , quibus deperditur .



In tribus potissimum formis **conquiescere**  
 & inveniri civile imperium noravimus in  
 prioribus. Itaque si forma regiminis *demo-  
 cratica* fuerit, situmque fuerit civile imperi-  
 um penes universos seu ingens populare  
 corpus, nascitur imperium *ex pacto unionis*,  
*nimirum ex uniformi*, conglutinatique po-  
 puli consensu & pacto relatè ad totam so-  
 cietatem unitim civilia summa jura partici-  
 pantem. — Quodsi regiminis forma *monar-  
 chica* fuerit, aut *aristocratica*, potestas supre-  
 ma civilis oritur *ex pacto subjectionis* ad unum,  
 vel ad plures imperantes, atque *ex accepta-  
 zione ex parte unius*, vel plurium imperan-  
 tium. — Conficitur ex his, modos acqui-  
 rendi civile imperium potius esse dirativos  
 & paectios, quam originarios. Paëta ta-  
 men haec aut *libera* sunt *omnime*, aut quo-  
 dam modo *extorta per bellum*: quocirca ta-  
 men notandum, quod & ipsa bella cessa-  
 re non soleant, nisi per paëta explicita, aut  
 tacita saltem. — Pro illa differentia tem-  
 poris, qua populus devictus nec expressè,  
 nec tacite consentit in imperium debellato-  
 ris & victoris, armorum *justitia* supplet, ob-  
 tinetque hic *jus belli* certe non aliud, quam  
 quod veri probatique juris qualitatibus in-  
 signitum esse dignoscitur: secus autem, si  
 secus.

Nanciscendi igitur civile imperium modi  
 præcipui sunt aut *electio*, aut *successio*, aut  
 pars haec utraqque simul, *mixta* videlicet *elec-  
 tionis*

*ctioni successio.* — Imperium acquiritur *viâ electionis*, dum populus, aut aliae personae concernentes legitimè eligunt tempore vacantis imperii personam habilem pro tenendo sceptro aut aliâ Reipublicæ summa potestate, personâ electâ in idem consentiente. — *Via successionis* obtinetur imperium, dum ex primævo consensu & decreto populi suprema potestas eâ ratione ad certas devoluta est familias, ut personâ regnante decedente, resignante &c. proximior ejusdem familiæ persona imperii jure pleno suscipiat habenas, quin aliquâ opus sit electione ulteriore. — *Via mixtâ* devenitur ad imperium, dum electio locum quidem habet, ita tamen restricta est, ut aut determinatæ familiæ, aut certo ordini ac morali corpori adligetur catus, ut ex alia familia, ex alio gremio eligi nemo possit. Igitur hac ratione tum per jus electivum, tum per jus successivum, viâ prœinde mixtâ imperium obtinetur ab acceptante. — Denique imperia, quæ vi armisque justo in bello acquiruntur, plerumque bæreditaria, patrimonialia & pro lubitu alienabilia nuncupantur.

## §. II.

### *Singularis discussio imperii electivi.*

**A**d electionem duo potissimum requiruntur: *primo*, ut re ipsa vel ob prædecessoris mortem, vel abdicationem &c. imperium vacet;



vacet; nisi fortè de electione coadjutoris sit quæstio, aut nisi civitas aut societas novissimè ercta primum suum eligat Regentem. Secundo, ut eligentes competente in hunc effectum gaudeant jure, aliasque observent leges ad rationem eligentium, electionis, & eligendæ personæ requisitas.

Potest ergo per electionem constitui imperans vel cum limitatione, vel sine limitatione exercendorum Jurium majesticorum; prout nempe sanctæ vel non sanctæ fuerunt leges fundamentales, sanctæ nullique alteri statui aut juri alieno præjudicioræ capitulationes &c.: his quippe legibus fundamentalibus imperantem adligatum esse, in prioribus observavimus. — “Cœterum (*inquit Zallinger Lib. III. Cap. III. f. N. p. §. CCCVIII.*) Solo concessò jure eligendi, non comprehenditur jus faciendi capitulationes, nisi aliunde probetur.”

Penes quas præcisè personas jus eligendi resideat, pro omni societate generatim decerni neutquam potest; igitur pro societatum ratione diversa, diversus quoque eligendum cœtus invenitur. — Regulariter eligi possunt omnes, qui nullâ prohibiti, aut inhabilitati sunt lege, aut contrariâ legitimâ consuetudine non præpediti.

Colligitur ex iis, quæ de electitio diximus imperio, quod in casu, quo summus impe-

imperans aut proximè mortuus est, aut ratione aliâ imperium abdicavit, locum suscipiat *interregnum*, pro statu nimirum, quo regnum, aut inæqualis alia societas summo imperante ordinario destituta est.

De statu interregni ejusdemque adjunctis in modum sequentem differit Heineccius Lib. II. Jur. nat. & gent. Cap. VII. §. CXXXII. « Cùm verò interregnum sit status civitatis summo imperante ordinario dictitutæ, nec tamen populus tunc cessare velit rempublicam, dum de novo eligendo principe consultat; consequens est, ut interea reipublicæ præesule debeant magistratus extraordinarii, quocunque nomine veniant, iisque vel nova electione, ordinum suffragiis constituendi, vel, quod consultius est, in antecessum lege publicâ designandi, quorum tamen cessare oportere potestatem, novo imperante electo, facile unusquisque intelligit. Cùm verò hic imperantium vice fungantur ad tempus, mirum omnino est, disputare viros doctos, an tempore interregni vera supersticitas vel respublica, quæque illi forma adsignanda sit. »

Porro interrex, vel prorex aut lege constituitur, aut electione. His, tanquam imperii aut regni vicariis, idem competit, quoddam, quorum officium administrant, quorumque repræsentant personas, nisi lege speciali eorum



eorum fuerit restricta potestas. Cura etiam novae electionis regulariter spectat ad ipsos, quin tamen in eorum sit arbitrio, per se se transferendi hanc potestatem in alios; id quippe ad Electorum seu eligentium pertinet collegium: neque etiam Prorex auctoritate propriâ leges fundamentales, vel regiminis formam immutare potest.

### §. III.

*Perstringitur regni successivi indoles cum adjunctis.*

**R**egnum hereditarium à regno successivo passim distinguunt in eo, quod Principi competit certa potestas de regno hereditario disponendi, testandi &c.; atvero in regno successivo vel maximè ex voluntate populi successio devolvatur ad proximos decedentis aut resigrantis imperantis consanguineos. — Itaque successivum imperium est, quando populi decreto electa est familia quædam imperans, ita, ut ex ea, quamdiu suis in ramis fuerit superstes, persona aliqua semper teneat & exerceat imperium, si per leges illa non fuerit inhabilis.

Traditâ hac imperii successivi generali notione, varias ejus species expendere juvat. Quodsi igitur jus successionis eâ lege sit translatum in imperantem, ut is imperium valcat alienare & transferre in successorem sibi

sibi bene visum, ac liberè à se determinandum, successio *patrimonialis* adpellatur. Sive  
 rò ex lege, populive consensu ad familiam  
 primi acquirentis eâ ratione transferatur, ut  
 hâc subsistente familiâ jus successionis exclu-  
 sivè eidem adhærescat, successio *familiaris*,  
 de qua propriè hic est quæstio, nuncupatur.  
 Familiaris ista successio potissimum abie-  
 cit in *gradualem*, & in *linealem*. In priore pro-  
 ratione legum fundamentalium adtenditur  
 duntaxat ad gradus; ita, ut is, qui gradu  
 propinquior est imperanti decedenti, inad-  
 tento, ex qua præcisè linea descendat, suc-  
 cedat in imperio. Verùm successio linealis  
 à prærogativa linea dependet, ita, ut reg-  
 num devolvatur ab uno ad alium in linea  
 descendente recta; qua tamen extincta, tran-  
 situr ad aliam ceteris propinquiorem. —  
 Porro legitimus primogenitus imperantis præ-  
 fertur reliquis; is quippe vel ex legis di-  
 positione, vel ex consensu populi habet jus  
 quæsitum. Passim etiam obtinet, quòd jus  
 primogeniturae adhæreat illi, qui natus est  
 ante alios descendentes liberos, etsi lucem  
 adspexerit, antequam imperans parens te-  
 muerit sceptrum. Quare ait Heineccius:  
 " Cùm in primogenitura tantùm ordinis na-  
 " talium habeatur ratio, nulla ratio est, cur  
 " frater natu minor ideo excludere debeat  
 " natu majorem, quòd illum (natu minorem)  
 " vagientem in purpureis incunabilis aula  
 " audiverit. „ *Lib. II. f. N. & G. Cap. VII.*  
 . §. *CXXXIII.*



Successionem linealem dividunt in cognaticam , agnaticam , & mixtam. *Cognatica*, quam & castellanam vocant, est, in qua primogenitus quidem secundogenitum, & mas ejusdem lineæ omnes indistinctim excludit fœminas; ita tamen, ut masculis deficien- tibus fœminæ vocentur in subsidium etiam præ maribus lineæ secundæ. *Agnatica* vel *Salica* successio est, in qua fœminæ, & ex iis nati, etiamsi mares sint, perpetuò excludun- tur. Denique *mixtam* illam nominant, in qua fœminæ non nisi post omnes quarumvis linearum mares admittuntur.

## §. IV.

### Qua ratione imperium civile amittatur.

**N**on tenet hoc loco vulgatum istud axioma juris: *per quas causas res nascitur, per eas et dissolvitur*: quasi verò imperium populi con- sensu adquisitum , eodem & consensu in contrarium subsequente extingui liberè pos- set , & sic imperans deponi , legitimoque privari imperio; enim verò familiæ aut per- sonæ ad imperium evectæ continuationis jus habent quæsitum vel in perpetuum , vel ad tempus per leges fundamentales definitum , adeoque ab arbitrio turbæ quoad hoc sunt independentes , regnisque privari nequeunt ex capite præmemorati axiomatis: Et profe- Etò causa per quam nascitur istud imperium non est solus consensus populi, sed & con- sensus

sensus seu acceptatio imperantis; pactum proinde mutuum.

Potest igitur comparari imperium atque referri vel ad individuas personas imperantes, vel ad imperantium familiam, ut in monarchiis, vel ad imperantium familias plures, ut in aristocracia, vel ad totam populi concernentis seriem, veluti in democratia. — Si imperium referatur ad ipsas personas imperantes, liquet, quod earum morte seu vitae amissione etiam amittatur imperium. Familiae porro si extinguantur, relatè ad has quoque extingui imperium pariter est manifestum. Si denique ipsa pereat civitas, imperantium quorumcunque potestatem, ob defectum objecti circa quod, evanescere *in exercitio*, per se quoque perspicuum est.

Illud ergo vulgatum: *civitas, communitas, seu morale corpus non moritur*, eo venit intelligum sensu, quod communitas facultate polleat membra hinc inde deficiens per substitutionem novorum resaciendi, sicque morale corpus seu civitatem ipsam sartam tecum conservandi. Quo ramen non obstante emergere, absolutè loquendo, potest casus fatalis & extraordinarius, quo tota gens pereat, & sic unum cum altero corruat. Loquimur autem hoc loco de casu penitus extraordinario, quo particularis quedam corrueret civitas aut communitas; non item de communitatibus illis, quae provido Dei consilio

❧

filio duraturæ sunt usque ad consummationem sæculi, veluti de vera Christi ecclesia in proposito est, aut etiam de aliis quandoque regnis civilibus cogitari potest.

Si civitas ambulatoria evadat, & vel liberè, vel necessitate compellente de loco pristino migret in alium, per se loquendo non tollitur unionis ac communionis vinculum, adeoque imperantium jura & obligationes obtemperantium non concuriuntur. — Neque opponi potest facta per Moysen educatione populi Israelitici de manu Pharaonis in *Exodo* descripta: hæc quippe liberatio iniuste oppressorum facta est per mandatum summi rerum Arbitri ob rationes urgentes plenissimèque sufficientes.

Potest insuper amitti imperium per abdicationem seu resignationem imperantium, aut, si lege id cautum, per translationem in alterum. — Utrum porro existant imperia tam rigorosè hæreditaria, ut imperans testari de illis valeat sine expresso, vel tacito populi consensu, aut quin populus facultatem de regno disponendi illudque alienandi in principem disertè contulerit, disputant alii, illudque negat *Heineccius Lib. II. f. N. & G. Cap. VII. §. CXXXVIII.* ubi inter alia dicit: "Neque obstant exempla, quæ ex omnibus ævi historia magno numero ad cumularunt *Grotius, Puffendorfius & alii.* Jam enim alios regna divisisse, jam testamen-

tis

“ tis eadem in alios transtulisse legimus.  
 “ Præterquam enim , quod non exemplis,  
 “ sed rectæ rationis principiis æstimanda est  
 “ harum alienationum justitia, rectè jam re-  
 “ spondit perillustris Baro de Cocceis de te-  
 “ stam. princ. part. II. §. XVII. vel effectum  
 “ non habuere illæ alienationes: vel cum consen-  
 “ su populi sive tacito , sive expresso factæ sunt:  
 “ vel etiam vis prævaluit. ”

Resignationi seu renunciationi in regno  
 electivo faciliorem passim jurisconsulti locum  
 elargiuntur, quam in successivo. De poste-  
 riore in modum sequentem statuit Griebner  
*Lib. II. jurisprudentiæ naturalis Cap.X. n. VII.*  
 “ Utrum quis in regno successivo pro se &  
 “ liberis suis juri & spei succedendi renun-  
 “ ciare possit, Doctores dissentunt. Nos  
 “ liberis jam tum natis renunciationem non  
 “ obesse existimamus; quamvis eorum, qui  
 “ nondum nati sunt, alia ratio esse videa-  
 “ tur. Non hic agitur de regno , cuius  
 “ alienandi jus principi competit. Sunt,  
 “ qui omnem renunciationem inaneim cen-  
 “ sent; sed nondum natis paternam renun-  
 “ ciationem nocere probabile videtur, quia  
 “ quod jus quis non amplius haberet, id nec  
 “ transmittere potest. Non defunt tamen,  
 “ quæ in alteram partem urgeri possunt: ne-  
 “ que omnium regnum eadem est ratio.  
 “ Liberis jam natis jus succedendi ex prima  
 “ populi voluntate quæsitus est, quod ip-  
 “ sis facto patris adimi requirit. ”



Exspirantis imperii rationem adhuc aliam  
dictitant authores, si inter imperantem &  
populum subsistat explicitum pæctum, quod  
*clausulam seu legem commissoriam* nuncupant,  
vi cuius sanctum est, ut, si imperans acce-  
ptatas aut juratas violet leges fundamentales,  
imperium amittat. — Verùm hæc violatio,  
si ullibi locum haberet, *legalissimè* utique &  
irrefragabiliter deberet evicta esse præviè.  
Quis autem pro casu illo competentem ha-  
beat potestatem inquisitoriam, decretoriam  
& executoriam, pendebit à ratione imperii  
concernentis, *an nempe, & cui* illud sit sub-  
ordinatum. Illud manifestum est, quòd ne-  
mo sibi ipsi jus dicere possit regulariter,  
proinde populus ipse in negotio tam arduo  
nequit agere judicem competentem; sed ad  
alia legitima juris remedia erit convolan-  
dum.

Pæctum istud explicitum si non subsistat,  
& imperans leges fundamentales sine eo su-  
ceptas violet, propterea imperio privari  
potest minimè, quia ad summum inde in-  
ferri nequit aliud, quàm quòd imperans plus  
juris sibi adrogaverit, quàm ipsi competit;  
ex quo tamen excessu nemo imperii amil-  
fionem rectè deduxerit.

Relatus apud Zallingerum *Lib. III. f. N.*  
*p. Cap. III. §. CCX.* de Martini circa hanc  
materiam ita differit *§. CCCCXCIII. seq.*  
“ *Etiam depositionem à subditis adtentatam*  
*ad*

" ad modos amittendi imperii referre aliqui  
 " non dubitant. Cum tamen subditi judi-  
 " cium sibi in imperantem adrogare nun-  
 " quam possint; ille vero, qui totam civita-  
 " tem everttere molitur, eo ipso furore, aut  
 " dementia correptus esse videatur, ut eum  
 " non jam deponi, sed velut incapacem cu-  
 " stodiri oporteret; evidens est, depositio-  
 " nem ad modos, quibus majestas pereat,  
 " minimè pertinere. Neque magis error,  
 " malitia, aut dolus in religione commis-  
 " sus principem throno dejicit; quod nemo  
 " in terris eo *civiliter* sit superior: atque li-  
 " cet peccet, modo alios non laedat, jure  
 " suo aut rebus privari nequeat. Sed & illi,  
 " qui licitam putant resistentiam, propterea  
 " & depositionem admittere necesse non ha-  
 " bent; quod ab illa ad hanc nulla valeat  
 " consecutio.,,

In casu fatali & critico, quo imperans in-  
 cideret in statum, in quo usu rationis ad  
 debitum regimen necessario esset privatus,  
 ideoque ab imperio excidere sit putandus,  
 omnino attendendum est, an isthaec priva-  
 tio rationis perpetua sit, num vero tempo-  
 ranea? Quod si fuerit perpetua, imperans  
 civiliter mortuus esse reputatur; si vero dun-  
 taxat temporanea sit, aut fundata supersit  
 spes restitutionis longissime haud elongatae,  
 ipsa regiminis amissio locum non obtinet.  
 Novimus, quae circa hanc rem nunc in An-  
 glia agitentur controversiae.



Denique hoc loco institui potest quæstio,  
an ejec<sup>t</sup>io legitimi imperantis per injustum  
regni usurpatorem & invasorem sit privati-  
va imperii, & quænam relictis atque ab usur-  
patore subjugatis subditis incumbant obliga-  
tiones sive quoad regem ejec<sup>t</sup>um, sive quoad  
invadentem regnumque occupantem?

Ad dirimendam hanc quæstionem allega-  
tum à Cl. Zallingero §. supra citato adducere  
juvat Cl. de Martini §. D. seq. ita differen-  
tem: " *Usurpator* vel *invasor* is dicitur, qui  
" sine justa belli causa vi vel dolo majesta-  
" tem sibi præripere conatur ..... Hic, si  
" sit extraneus, *invasor* in specie, si subdi-  
" tus, *rebellis* est. — Cùm verò ex sola ma-  
" jori virium physicarum quantitate fortior  
" facultas moralis haud intelligatur, nec de-  
" tur jus victoriæ, nisi accesserit pactum  
" pacis; consequens est, ut secutâ invasione  
" ac usurpatione totius territorii, propterea  
" non desinat civile imperium, sed tantum  
" ejus impediatur exercitum, donec initâ  
" pace & ipsi civitatis regimini legitimè fue-  
" rit renunciatum. Quia verò rex ejec<sup>t</sup>us  
" rempublicam administrare nequit, ideo  
" subditi, qui se se invasori subjecerunt,  
" ubi is in quieta fuerit possessione, eidem  
" tenentur obedire, non quidem ex invasio-  
" nis jure, quod nullum est; sed ob uni-  
" versale bonum: ex quo ille etiam, qui  
" jus imperandi habet, velle non potest,  
" ut populus intereat potius, quam invasori  
" se

" se submittat. Quare & vi obligationis re-  
 " ctoiae tenetur juramentum fidelitatis in-  
 " terim non urgere. Quamprimum autem  
 " subditi ab imperante defendi possunt, jam  
 " obligantur ad eum redire; quia juri alteri  
 " quæsito in perpetuum præjudicare neque-  
 " unt .... Itaque fides invasori data jus le-  
 " gitimi regis minimè tollit, sed propter  
 " conflictum obligationis se conservandi, cum  
 " obligatione rectori civitatis, qui jus suum  
 " exercere nequit, præstandi obedientiam,  
 " ita fieri oportet exceptionem, ut minus  
 " malum majori præferatur. Sanè, si pere-  
 " at populus, jus quoque imperantis peni-  
 " tus extinguitur; si autem vitandi interi-  
 " rius causà obediatur usurpatori, spes tamen  
 " adfulget legitimo regi, ut mutato rerum  
 " statu pristina majestatis jura exercere pos-  
 " sit. Inde intelligitur, an & quando usur-  
 " pator jure occidi queat? — Si enim ipsa  
 " duret invasio, omnia belli jura in extrane-  
 " um adgessorem exercere, contra civem re-  
 " bellem verò simul executionem juris puniendi  
 " non minùs, quam contra viarum adgres-  
 " forem cuilibet committere licebit. — Post-  
 " quam autem invasor jam rerum potitus  
 " est, & armata populi desiit resistentia,  
 " standum omnino erit expresso vel tacito  
 " parendi pacto, neque quidquam hostile  
 " interea tentandum. Quare lex fundamen-  
 " talis, aut expressum regis ejecti manda-  
 " tum tunc demum valebit, si invasor quie-  
 " tam imperii administracione nondum utatur.

Quo-



Quoniam igitur hæc prætæctum quæstio-  
nis statum penitus exhauriunt; hinc ulterio-  
ribus eo super objecto sensis meis propriis  
exponendis supersedendum judicavi.

## CAPUT V.

### *De Juribus & obligationibus ci- vilibus.*

#### S. I.

*Notio ac determinatio jurium & obligatio-  
num civiliū præcipuè quoad imperantes.*

**S**tatum civilem non esse connatum, sed ad-  
ventitium, in decursu memoravimus saepē:  
unde consequitur jura & obligationes inde  
manantes quoque esse adventitias sive acqui-  
sitas in tempore. — Obligationes & jura ex  
adoptato statu civili resultantia sub triplici  
potissimum considerari possunt obtutu atque  
respectu; videlicet ad *imperantem*, ad *com-  
munitatem*, & ad *cives singulos*.

Societas civilis inita est à concernentibus  
sociis ob certos fines eorum felicitati con-  
sentaneos & adtemperatos: hos ut debitè  
adsequi valerent, competentibus opus erat  
mediis; naturalem igitur oportebat immi-  
nuere atque restringere libertatem per inita-  
paæta, & quibus singulares civiles obligatio-  
nes,

nes, ac specialia jura civilia enascabantur  
tum imperantis in subditos sive in commu-  
nitatem, tum communitatis in imperantem,  
tum comparatè ad cives singulos.

Imperans igitur, qui suscepit onus gu-  
bernandi reliquos, oneri huic atque officio  
adhærescentia, atque ad debitum illius exer-  
citium necessaria acquisivit jura; insuper &  
contraxit obligationem, præeminenti huic  
suo officio, pro bono societatis seu commu-  
nitatis suscepto, ita satisfaciendi, ut tam pu-  
blicum communitatis, quam privatum sin-  
gulorum civium bonum promoveatur: cu-  
rare nempe tenetur, ut communitas salva  
consistat contra exterorum impetus, aut  
dissidentium etiam rebelliūmve subditorum  
ausus atque conamina; ut publicæ prospicia-  
tur securitati ac tranquillitati, ac generatim  
tam intestini, quam exteri reipublicæ hostes  
coerceantur. — Pariter singulorum civium  
tenetur defendere vitam, membra, liberta-  
tem civilem, honorem, bona fortunæ, &  
quæ sunt hujus generis alia. Imperanti por-  
ro incumbit ex officio, iis, qui passi sunt in-  
juriam, restitutionis beneficium pro possibi-  
li procurare realiterque impendere tum per  
se, tum per tribunalia pro administrandâ ju-  
sticiâ erecta. — Imperantes ergo tenentur  
tribunalibus, pro administranda justitia, ali-  
isque publicis gerendis negotiis, erectis pro-  
videre de consiliariis aliisve viris sincere &  
recte tam pro religione, quam pro statu



sentientibus, qui & concernentibus imbuti debent esse scientiis gerendarumque rerum experienciis; qui non tam in proprium, quam in commune & publicum commodum operas suas impendunt, & qui sine acceptione personarum ea decernunt, quae juris, justitiae & aequitatis legibus sunt consentinae; quique Deo, Religioni, imperantibus, atque subditis sunt fideles.

Praeterea imperantes suam quoque in id debent collocare sollicitudinem, ut suis in territoriis a competentibus ponantur & elegantur operatores in vinea Domini, seu in ministerio religionis, qui animarum saluti propiciendae, ac religionis causae gerendae numero, dexteritate, scientia, probitate, expertoque Zelo pares sunt atque probati; qui tanquam genuini pastores animas suas ponunt pro ovibus suis, non tanquam mercennarii fugientes, sed lupos gregem invadere conantes, invictâ fortitudine & constantia repellentes: qui denique oves non ad venenata, sed penitus infontia deducunt pascua, easdemque intra verum ecclesiæ ovile continent, atque errantes ad illud reducere sagunt viribus universis.

Ad imperantium quoque officium spe etat suis in territoriis erigere scholas, academias &c. in quibus juventus erudiatur in iis, quae religioni & statui utilia sunt & necessaria; enim verò bonum religionis & statū vel maximè pendet a dignis utriusque partis

partis ministris, quos tamen perperam inquisiveris, si juventus debitè non fuerit enumerata, polita, edocta & informata. — Quis autem non intelligit, ad utilissimi hujus summéque necessarii finis consecutionem principalissimè requiri magistros non quidem pruidentes auribus, & à veritate auditum avertentes, atque ad falsa & fabulas sè suósque convertentes, sed è contrario doctrinam sanam ac solidam, genuinis naturalibus, divinis, humanisque legibus consentaneam proferentes, disseminantes, imprimentes? Quis non intelligit discipulis, qui in verba magistri jurant, perniciosius nil accidere posse, quam si ipsis lapis loco panis, serpens loco pisces, aut scorpio loco ovi porrigatur? Quis proinde non intelligit religionis ac reipublicæ bonum präprimis à bonis, präjudicium verò & malum à malis pendere doctoribus? Quis non intelligit plantas jamtum radicali veneno infectas tractu temporis succrescere in arbores, quæ nonnisi malos faciunt fructus, tam sacræ nimirum, quam civili reipublicæ nocivos atque präjudicantes? — Quæ cùm ita sint, imperantium est, eam in rem präcipuam collocare vigiliam atque sollicitudinem; curando videlicet, ut talis obtineat doctrina, quæ veris religionis & ecclesiæ legibus est adornata, quæ civilis potestatis fulcimentum est, & sustentaculum, quæque ecclesiam cum imperio inviolabiliter necens, utriusque salutem & tranquillitatem promover atque conservat.



Præter egregios theologiæ ac juris utriusque doctores opus quoque est facultate medicâ, cui & chirurgica adhærescunt atque subserviunt collegia. In consequentiam juris naturæ quilibet non solum statum suum moralē conservare ac perficere tenetur; verum etiam obligatur ad conservationem vitæ, sanitatis ac membrorum corporalium. Atverò plurimi emergunt casus, pro quibus ad finis hujus consecutionem clarissimorum medicorum, & expertorum chirurgorum opera penitus est necessaria. — Unde quaque igitur convenit, ut imperantes in suis respectivè ditionibus hujus generis scholas & collegia instituant; ut nempe candidatis præclaras has amplexaturis disciplinas facilior tribuatur occasio sine gravissimis sumtibus eâ in causa apud eximios in propria patria professores se se perficiendi, & concorrentes dein proximorum indigentias sublevandi.

Insignem utilitatem, magnâque ex parte necessitatem philosophiæ nemo ignorat, qui in hac palæstra desudavit. Omnes igitur illius partes maximoperè sunt commendabiles. — Illud porro testatur experientia, quod perspicua & pressa argumentandi ac concludendi ratio in omnibus uteunque etiam eminentibus causis summi valoris sit & energia: adeoque brevis & terfa ratiocinandi, & argumentandi atque concludendi methodus, è disciplina logicali minimè eliminanda, quin

quín potius perficienda est, emungenda ac retinenda. Physicalia quoque experimenta non solis physices candidatis, sed & aliarum sublimium disciplinarum auditoribus omnino commendari merentur ob multiplicem & singularem eorum utilitatem. Matheseos quoque præcepta in facultate philosophica explicatè ac solidè tradenda veniunt.

Ad reliquas classes, quas inferiores nuncupant, quod adtinet, perspicuum est, suas cuilibet inesse prærogativas utilitatésque: id tamen advertere liceat, quòd idioma latinum præcipuò excolendum sit, nullóque sub prætextu negligendum. Summa hujus linguæ utilitas vel ex hoc solo elucefecit, quòd ea sit unica, quæ universalis est, quæque profinde in rebus agendis ac communicandis nexum gentium cum gentibus fabricare potest & consolidare. Et quare, quæso! multiplex & maximus scientiarum thesaurus, qui in omnium respectivè disciplinarum libris sive vetustioribus, sive recentioribus idiomate latino conscriptis delitescit, obserari debet & occludi per latinæ linguæ subpresionem & negleḡtum?

Sed quid de utilitate indefectibili neccesitate scholarum trivialium, vel maximè ruralium dicam? Tenera juventus est imbuenda notitiis ac principiis religionis pro consequenda felicitate æterna; est & excolenda notitiis ad felicitatem temporalem requisitis.

Utrum-



Utrumque præstari debet per magistros idoneos, atque in utroque foro ad primè versatos. Utrum, & qua ratione magistri pro his causis sive in urbibus, sive in oppidis & pagis instituti & instituendi qualificati sint & tincti, neque imperantibus, neque civibus potest esse indifferens; proinde non abs re foret, si à professoribus normalibus tam instituti, quam instituendi magistri triviales examinarentur, capaces inventi adprobarentur, sed adhuc insufficientes in schola normali debitè erudirentur, quo usque muneri tam momentoso & ponderoso validè & cumple no effectu humeros submittere possent pro bono religionis ac reipublicæ.

Notum est denique, quod præter causas literarias ipsi imperantes paternam suam solitudinem quoque impendant artibus mechanicis, mercaturæ & commerciis, agriculturæ aliisque rebus permultis, quæ bono publico & privato perutilia sunt atque necessaria.

## §. II.

### *De officiis subditorum in specie.*

Imperans esse nemo potest sine subditis & imperantium juribus correspondent officiis & obligationes subditorum. Quoniam verò obligatio legibus & jussis imperantium obtemperandi originariè enata potissimum est

est ex pactis, adeoque ad statum pertinet adventitium; hinc præter obligationem subjectionis, subditis etiam competunt jura, ut tum per imperantem, tum per concernentes alios res publica rectè gubernetur, commune bonum promoveatur, & sic finis societati præfinitus adtingatur tam per gubernantium, quam obtemperantium concursum & adjutorium.

Obligationes civiles subditorum triplicis præcipue sunt generis; videlicet relatè ad imperantem, relatè ad communitatem, & relatè ad se se sive ad cives mutuò; perfecta enim reipublicæ salus obtineri aut subsistere nequit, nisi cum debito imperantis influxu rectaque gubernandi ratione, etiam ex parte subditorum memoratae tres obligationes in effectum deducantur.

Obligationes subditorum erga imperantem reduci ad veram, sinceram & promptam obedientiam ac fidelitatem, indicavimus modò supra Cap. I. §. III. f. N. publ. ubi & generatim obligationes imperantium perstrinximus. — Cùm porro imperans in suos subditos habeat *jus perfectum*, in effectus nempe civiles hic pertinentes; idcirco reciprocè oritur *obligatio perfecta* ex parte subditorum obsequendi in iis omnibus, quæ æqua sunt & justa, atque ad forum hoc pertinentia. Id per se patulum est, quod subditis nil contra conscientiam, contra leges naturales, divi-



divinas & ecclesiæ injungi possit ac debeat. — Cùm ergò obligationes subditorum sint perfectæ; hinc etiam inviti ad earum adimpletionem justis & adtemperatis mediis coactivis compelli possunt ab imperantibus, id quod potestati coercitivæ intimum est.

Porro obligationes subditorum erga imperantes aut *negativæ* sunt, tales nempe, quæ semper & sine interpolatione fluunt; aut *affirmativæ*, quæ hic & nunc, occurrentibus nempe & exigentibus circumstantiis ponendæ sunt.

Ad *obligationes negativas* spectat, nunquam interponere vim contra iussa etiamsi dura, vel ad speciem injusta imperantium: summo imperio nunquam ponere impedimentum etiam quoad ejus exercitium: nullo penitus modo subditos alios contra imperantem instigare & excitare: imperantium aliorumque consilia pro bono patriæ neutiquam propalare hostibus, aut insidias struere reipublicæ: imperantium leges nullo prorsus conamine eludere aut inefficaces reddere.

Vel maximè huc etiam pertinet gravissima & sancta obligatio, sub nullo demum prætextu ad *crimen læse majestatis* concurrendi, multò minus nefandum, sacrilegum ac nigrum hoc crimen perpetrandi. — Committi verò potest *crimen læse majestatis*, si quidquam adtentetur contra summa jura ma-  
jesta-

festatica, & contra ipsam imperantis dignitatem, aut, quod impiissimum est, si contra ipsam imperantis personam machinatio fiat & actio pessima. — Si machinatio fiat in eversionem civitatis, & imperantis interitum, *crimen perduellionis* committitur. — Præterea ad obligationes subditorum negativas pertinet, pro omni tempore abstinere à disseminandis scintillis *rebellionis*, multò minus rebellionem ipsam suscitare aut suffulcire, animo videlicet doloso, tumultu, conspiratione & armis publicam civitatis tranquillitatem & securitatem turbando, pessumando, aut iustum vinculum inter imperantem & subditos rumpendo. — Factiones denique & seditiones omnino vitandæ sunt.

*Adfirmativa* subditorum *obligationes* potissimum reducuntur ad debitam ipsis reverentiam, obedientiam, & fidelitatem, quæ statis temporibus actibus positivis eisdem sunt impendendæ. — *Reverentia* imperantibus est exhibenda, non solo animo, verùm signis quoque externis sensibiliusque; verbo nimirum & opere. Reverentia itaque debita imperantibus sincero concepta sit animo penitus oportet; insuper verba de imperantibus proferenda ita componi debent, ut eorum honori ac dignitati neutquam præjudicent, quin potius eandem commendent; sunt enim cum reverentia nominandi. Utinam & hoc singuli debitè observarent erga summos ecclesiæ præfules! — Re denique ipsâ honor & respectus



spectus debitissimus tribuendus est imperantibus.


*Obedientia* debita imperantibus pariter ex ipsa imperii notione diffuit; quam & denuo urget *Paulus* *Heb.* XIII. 17. «Obedite præ-»  
 « positis vestris, & subjacete eis; ipsi enim  
 « pervagilant, quasi rationem pro animabus  
 « vestris reddituri. » Subditi ergo tenen-  
 tur justis imperantium legibus ac jussis ple-  
 nam & efficacem præstare obedientiam, ef-  
 fectu nempe secuto; ab hoc enim reipubli-  
 cæ salus maximè dependet. Neque etiam  
 exceptio locum habere potest intuitu perso-  
 nalium qualitatum in imperantibus obmo-  
 vendarum; quia etiam discolis, si ullibi es-  
 sent, obediendum est. « Regem honorifi-  
 , cate. Servi subditi estote in omni timo-  
 « re dominis, non tantum bonis & mode-  
 « stis, sed etiam discolis. » *I. Petr.* *II.* vv.  
 17. & 18.

*Fidelitatem* legitimis imperantibus impen-  
 dendam & impensam constituere partem  
 fundamentalem statûs rectè ordinati, nemo  
 ignorat: unde & quilibet imperans felicem  
 se existimat, si habet subditos re ipsa fideles.  
 Fidelitas ista summum conciliat amorem &  
 nexum inter imperantes & subditos; nata  
 proinde est, ad prosperitatem publicam con-  
 tra insultus in. & externos tuendam & con-  
 servandam. — Sed non in solo affectu, ve-  
 rum etiam in effectu istam oportet exerce-  
 re

re fidelitatem: in eventibus & necessitatibus particularibus æquè ac publicis fidelis populus adfistere imperanti minimè renuit, bene conscientius, salutem reipublicæ sine salute imperantis non subsistere. — Ipsa etiam juris naturæ principia consultando, edocemur, quoad fidelitatem vel maximè, præter honorem, & in causis adpertinentibus obsequium, exceptionem & exemptionem locum non habere, sed omnes omnino status esse comprehensos & obligatos, ut fideles sint imperantibus.

Præter obligationes subditorum erga imperantem, sunt & aliæ, quas *communitati* impendere tenentur. Communem societatem iniére cives in ordine ad consequendam securitatem felicitatemque communem; huic igitur communitati prospiciendum est, atque in ejus bonum singula membra suas debent conferre operas, ita quidem, ut bonum commune prævaleat privato.

Obligationes hujus generis iterum aut *negativæ* esse possunt, aut *affirmativæ*. In consequentiam *obligationum negativarum* subditi abstinere tenentur ab omni illo, per quod communitas sive in juribus, sive in aliis quibusque possessionibus, sive in bono pacis, tranquillitatis ac concordiae &c. lædi posset atque furbari, nil penitus moliendo, quod ulli communitatis bono officit. Speciatim ac præcipuo contra has obligationes impingunt, qui



qui graves discordias per civitatem disseminando, toti civitati parant interitum;  
 " nam omne regnum divisum contra se,  
 " desolabitur: & omnis civitas vel domus  
 " divisa contra se, non stabit.,, *Mattb. XII.*  
 25.

*Adfirmativarum intuitu obligationum cives,*  
 generatim loquendo, ad bonum commune,  
 cuius percipiunt fructum, suas debent contribuere operas, debitasque ac bene regulatas expensas: sancè, qui sentit commodum, debet & sentire onus; & qui in communitate vivit, etiam communitatem suffulcire tenetur. Cùm porro status militaris civitatem defendat cum expositione vitæ ipsius; hinc & cives pro civitate conservanda, hostibúsque propulsandis statui militari varia tenentur impendere auxilia & officia; uti in transvehendis rebus ad bellum & exercitum pertinentibus, in militibus hospitio recipiendis, in necessitatibus nonnullis suppeditandis &c. — Omnis porro, qui vult finem, huc nempe pertinentem communitatis incolitatem, rationabiliter & velle debet media, ad publicam hanc incolitatem obtainendam & conservandam reipsa necessaria: quilibet ergo pro rata conditionis & statūs ad communem hunc finem efficaciter concurrere tenetur.

Sunt denique obligationes singulares, quas civis concivi aut unus subditus alteri præstare debet. Quamvis autem unus subditus

ditus non dependeat ab alio , neque ejus subjaceat iussis ; tamen eoipso , quo quis communitatis efficitur membrum , etiam varias contrahit obligationes erga altera membra eundem statum civilem cum adnexis iuribus & obligationibus participantia. Nullus ergo alterum in jure adquisito turbare , aut *viā facti* contra alium civem jus sibi dicere aut vindicare audet ; quia in statu civili cessat *vis privata* jus suum persequendi. Circa rem hanc notum est *decretum Marci imperatoris L. credit.* 7. *D. ad leg. jul. de vi privata* ; hujus tenoris : "Cūm Marcianus dīceret , vim nullam feci : Cæsar dixit , tu vim putas esse solūm , si homines vulnerantur ? Vis est & tune , quoties quis id , quod deberi sibi putat , non per judicem reposcit. Non puto autem nec verecundiæ , nec dignitati tuæ convenire , quidquam non jure facere. Quisquis igitur probatus mihi fuerit , rem ullam debitoris , non ab ipso sibi traditam , sine ullo judice temerè possidere , eumque sibi jus in eam rem dixisse , jus crediti non habebit. "

Actiones porro illæ devitandæ sunt , per quas civis civem conjicit in discrimen amittendæ virtutis ; quò pertinent prava coniunctura , aut inductiones aliæ nefandæ contra bonum animæ , nexæ non raro cum amissione honoris , sanitatis bonorumque fortunæ. Item vitari illa debent , per quæ alii deveniunt indefe-

defectum annonæ, aut commercii recte tractandi; quod pertinent monopolia, rerum pretia fraudulenter & ultra modum aucta, insuper & genus omne foerationis, pariter lusus multiplicati, illi præcipuo, ad quos cum expensione magni pretii admittitur & adtrahitur & juvenis & civis non sine ingente familiarum detimento.

### §. III.

*Qua ratione quis subditus efficiatur, & est  
desinat.*

**I**n subjectione civili quæstionem hoc loco duntaxat moveri, manifestum est atque consecutarium ex iis, quæ circa materiam hanc substratam acta sunt atque digesta. Potest autem quis constitui civis, dum civitas primitus oritur, seu primam suam nascitur existentiam per populi consensum, & imperii acceptionem ex parte imperantibus. Potest & quis effici civis, civitate iam tum præviè constitutâ, suoque in vigore regulatâque formâ subsistente.

Quod si civitas oriatur primitus, subjectionis civilis constituitur per pactum unionis, & subjectionis: notant quippe Authores passim, quod juramentum fidelitatis, aut homagium imperanti præstitum subjectionem potius confirmet, quam in radice producat; eo quod fidelitatis juramentum quis deponat, quia

quia subditus est, non autem tunc & per id subditus efficiatur, quia jurat. — Si vero civitas jam præviè fuerit constituta, subjectio civilis ortum trahit à nativitate; liberi namque patris quoad hoc conditionem sequi ac suscipere reputantur. — Sed quia & exteri inter cives cooptari possunt, hinc subjectio civilis exordium ducere quoque potest per receptionem; quò & pertinet jus indigenatus.

Definit subjectio civilis per id, quòd quis definat esse civis: duobus autem potissimum modis id contingere inter vivos potest; ejelione nimirum, & emigratione. — Ejelione civis jure civitatis ipsaque territorii inhabitatione privatur ipso invito; quia autem nemo invitus jure suo privari potest, nisi commiserit delictum, ob quod præhabito jure justè privandus est, hinc patulum est, ejectionem non esse arbitriam ex parte ejicientium, sed competentem probatamque debere presupponere rationem sive causam.

*Emigratio* fieri potest ex parte ci-  
um, imperante aut reluētante, aut conser-  
tiente. Quodsi imperans consentiat, emi-  
grationi nullum ponitur obstaculum, eadém-  
que licetè, ceteris paribus, perfici potest.  
Si verò dissentiat imperans, legémque posi-  
tivam emigrationi opposuerit, eandem illi-  
citam censeo, quia imperantem id statuendi  
rationem invenisse sufficientem omnino sup-  
poni debet, & aliunde certum est, justis  
imperantium legibus obtemperandum esse.

EX-  
EX-

An emigratio in genere spectata, special  
 videlicet lege non obstante, licita sit, di-  
 sputant authores, plurimis in adformativam  
 consendentibus sententiam. Non abs re erit  
 èa in causa referre adserta L. B. de Ickstatt,  
*in opusc. jurid. var. arg. Tom. I. pag. 293. & seq.*  
 Ita differentis: "Quamdiu cives in republica  
 " & territoriis securitate & tranquillitate vitae  
 " fruuntur; jus emigrandi ipsis non compe-  
 " tit. *Demonstratio.* Cives reipublicæ ad  
 " vires suas in commune civitatis bonum  
 " pro possibili conferendas, ex pacto & sub-  
 " jectionis civilis vinculo obligantur. A pa-  
 " cto, rebus sic stantibus, & ubi nulla ab  
 " eodem recedendi causa subest, recedere  
 " non licet. Ergo neque civibus ab hoc  
 " pacto recedendi, & subjectionis civilis ne-  
 " xum dissolvendi facultas erit, quamdiu  
 " justa & sufficiens causa non suberit. Enim  
 " vero justa & sufficiens causa nulla subesse  
 " concipitur, quamdiu finem, ob quem in  
 " civilem cœtum coaluere, salutem scilicet,  
 " securitatem & tranquillitatem vitae con-  
 " junctis in republica viribus consequi va-  
 " lent: tamdiu itaque à pacto illo recedere  
 " & subjectionis nexum exuere non pote-  
 " runt. Quapropter cum emigratio sit mo-  
 " dus, quo à pacto illo receditur, & civi-  
 " lis subjectionis nexus dissolvitur, emigran-  
 " di jus civibus seu subditis minimè compe-  
 " tere constat, quamdiu securè & tranqui-  
 " lè in republica ipsis vivendi facultas sup-  
 " petit. — Quando subditi seu cives in re-  
 publica

“ publica nec securè amplius , nec feliciter  
 “ vivere valent ; jure emigrandi gaudent.  
 “ *Demonstratio.* Ideo in civilem societatem  
 “ coivere cives, ut securitate vitæ frueren-  
 “ tur ; ipsa ergo civilis societas rectè consi-  
 “ deratur ut medium, quo mediante finem  
 “ hunc suum conjunctis viribus consequi in-  
 “ tendunt. *Enim vero ex hypothesi theo-*  
 “ *rematis civitas medium aptum & suffici-*  
 “ *ens esse* desiit, quo finem communem ob-  
 “ tineant ; cessat igitur ratio , cur in eadem  
 “ ulterius persistant, utpote quod stolidita-  
 “ tis potius, quam sapientiæ argumentum  
 “ foret. Quin itaque hoc casu subditis aliò  
 “ extra rempublicam domicilia sedesque suas  
 “ transferendi , consequenter emigrandi fa-  
 “ cultas integra sit, dubium non est. »

Tandem cl. Author pag. 296. sequentem  
 subiectit observationem : “ Licet regulis à  
 “ nobis constabilitis sua constet veritas, nec,  
 “ stricto juri inhærendo, sub aliis determi-  
 “ nationibus subditis sive sigillatim, sive tur-  
 “ matim discedendi facultas competit ; re-  
 “ stantur nihilominus mores gentium ple-  
 “ rarumque, & in specie germaniæ nostræ,  
 “ quod singulis aliò lares translaturis raro  
 “ obstaculum objiciatur, sed sine multâ ratio-  
 “ num allegatione liber discessus pateat ;  
 “ modò, quem vocant, censum emigratio-  
 “ nis persolvant, neque arctiore servitutis,  
 “ aut subjectionis nexu constricti teneantur,  
 “ nec juri emigrationis in specie renuncia-



“ verint ; nec denique intempestiva sit emi-  
“ gratio , cùm singulorum etiam discessus  
“ insigne bono publico damnum inferre  
“ queat. Observantiae hujus hæc videtur  
“ esse ratio , quòd in tanta civium homi-  
“ nūmque affluentia unius patricorumve ab-  
“ scessum vix sentiar respublica , & si qua est  
“ jactura , ea aliunde confluentibus , aut ac-  
“ cersitis incolis facile resarciri valeat ; im-  
“ moderato autem hujus juris abusui per  
“ exceptiones hic indigitatas sat superque  
“ consultum sit. ”

Denique à jure *emigrandi* , quod dicitur facultas subditi , abdicatâ civitate in aliam rempublicam se transferendi , ibique suum **domicilium** , sedemque melioris fortunæ **constituendi** , differt jus *transmigrandi* , ut po-  
te quod situm est in facultate , non quidem extra territorium , sed in alium ejusdem territorii locum commigrandi sedis ibidem figendæ gratiâ. Emigrantes itaque territo-  
rium , transmigrantes verò duntaxat domi-  
ciliū mutant.

Aliud adhuc est jus *transplantandi* , vi cu-  
jus imperanti competere dicitur facultas ,  
imperandi subditis , ut ab una provincia in  
alteram eidem imperanti subiectam , aut ab  
uno ejusdem territorii loco in alium sua  
transferant domicilia sedesque fortunarum.  
Utrum hoc , & pro quo casu spectet ad  
stricta jura majestatica , disputent alii .

## §. IV.

*De securitate in - & externa, atque de politia.*

**I**n omni republica bene ordinata opus esse tam internâ, quam externâ civium ac civitatis securitate, insuper & recto ordine sive politiâ rite digestâ nemo ambigit. Hunc igitur in effectum & imperans, & subditi suam conferre operam omnino tenentur ex juri- bus & obligationibus utrique parti respectivè incumbentibus.

Per securitatem *internam* nil intelligitur aliud, quâm id, per quod cives securi reduntur relatè ad concives suos : *externa* autem in eo consistit, per quod civitas & cives ab extraneis machinationibus & hostibus tuti præstantur. Securitas *interna* dispesci solet in publicam, & in privatam. *Publica* est, quæ totam respicit civitatem seu rem-publicam, tanquam unam personam moralem, eandem reddendo securam, ne civilis nexus rumpatur, genuina reipublicæ forma turbetur, civile imperium conculcetur, eneretur, aut penitus evellatur. *Privata* respiicit singulorum civium personas, libertatem, bona famæ ac fortunæ &c., simul atque competentia jura singula hæc retinendi ac vindicandi.

Recta determinatio, ordóque rite digestus pertingendi ad fines præmemoratos in

republica aut regno, civitatis *politia* nuncupatur; quæ & passim definitur: *Scientia prædicta salutem hominum in societate viventium promovendi.* Res ista ad tria potissimum reducitur capita; videlicet ad republicam rite constituendam, administrandam, ac defendendam.

Circa regulas politiæ antiquissimi modò philosophi sua sensa depromserunt suasque institutiones. De legum proprietatibus locutus est Solon; fusiis de materia politica tratarunt Socrates, Plato & Xenophon: sed specialius rem hanc tradidisse Aristotolem, delimitur ex editione Basileensi operum ejus anno 1563. intitulata: *Aristotolis stagyritæ tripartitæ philosophiæ opera omnia &c. ad D. Maximiliani austrium Bohemiæ & Romanorum regem, Cæsarem designatum.*

Ex politia rectè ordinata derivari rerum publicarum ac regnorum salutem, securitatem proinde tam internam, quam externam, ad sufficientiam colligitur ex iis, quæ de imperantibus, ac subditis hucusque retulimus, è quibus & patet, patebitque ex variis adhuc sequentibus, qua ratione civile imperium rite constituantur, administretur & defendatur.

Varia ad securitatem internam adhuc pertinentia & facientia præcepta tradit cl. Zallinger Lib. III. I. N. p. Cap. V. §. CCXXI. vi deli-

delicet: "Ut dissolutioni morum, ut licentiae  
 " & protervitati hominum improborum, ut  
 " injuriis, maledicentiæ ac calumniis severæ  
 " leges instar aggerum opponantur; ac co-  
 " hibeatur dissipatio patrimonii, temperen-  
 " tur compotationes, quæque sunt generis  
 " istius.

" Ut libertatem civilem, quam leges na-  
 " turæ ac civitatis reliquam fecerunt, contra  
 " vim potentum etiam imbecilliores salvam  
 " teneant favore & patrocinio legum: unde  
 " & patriæ, & herili potestati aliquando  
 " limites ponendi sunt; neque permittenda  
 " coacta matrimonia, quæ difficiles habere  
 " exitus solent.

" Ferenda non sunt clandestina civium  
 " conventicula, eoque minus, quo majore  
 " pertinaciâ occultari volunt consilia sua,  
 " statuta & negotia; omnis enim, qui malo  
 " agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut  
 " non arguantur opera ejus: qui autem facit ve-  
 " ritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera  
 " ejus, quia in Deo sunt facta. Joan. III. 20.  
 " 21. " Ita ille.

Media porro securitatem externam con-  
 servandi contra insultus hostium residere pe-  
 nes imperantem, nemini dubium est. De-  
 bent igitur concurrere subditi ad media ista  
 hæc penes imperantem sarta recta tenenda,  
 omnibusque modis necessariis suffulcienda.



Æraria , armamentaria , fortalitia , competens militum copia & disciplina , annonæ sufficientia &c. , providâ imperantium dispositione & curâ recto debent ordine esse instituta , ut hostes repelli valeant , & pax conservari : nam “ cum fortis armatus custodit atrium suum , in pace sunt ea , quæ possidet . ”  
*Lucæ XI. 21.*

Denique ex eo , quòd nulla res publica regnumque nullum subsistere possit atque florere sine religione , id quod etiam antiquissimos fassos esse legislatores ac philosophos observavimus in J. N. priv. §. III. pag. 14. , consequtur , quòd & imperantibus & subditis vera religio præ omnibus cordi esse debeat . Religio igitur omnibus viribus est protegenda ; unde & imperantes ecclesiæ advocati instituti sunt . — Quid porro religionis intuitu incumbat imperantibus , & quo usque isthoc in negotio eorum potestas se extendat , demum quinam sint fines seu limites potestatis sacræ & laicæ , favente Deo determinabimus ex professo in jure ecclesiastico publico , utpote in quo sedem ei propriam adsignavimus in præfatiuncula huic compendio præmissa .

# CAPUT VI.

*De sumtibus pro bona reipubli-  
cæ requisitis.*

## §. I.

*Expenduntur causæ, & potissimi fontes pu-  
blicarum expensarum.*

**I**mperantium vel maximè est , securitatem tam internam quam externam promovere , consolidare ac conservare ; atvero fines isti adtingi nequeunt sine sumtibus : subditi igitur justas suas requisitásque contributiones interponere tenentur.

Causas huc facientes clarè exponit *Justi-  
nianus Novell. CLXI. c. 2.* dicens : " Una hæc  
" res potentiae nostræ studio est , ut pro-  
" vinciae & bonis gubernentur legibus , &  
" tutò inhabitentur : neque non ex præsi-  
" dum justitia fructum capiant , & tributa  
" publica sine querela inferantur ; neque  
" enim aliter conservare licet republikam ,  
" nisi pientissimæ præstationes importentur  
" in publicum , ex quibus i. Et militares  
" nutriuntur copiae , ut resistatur hostibus ,  
" & per agros ac urbes aguntur excubiæ :  
" Perfruuntur item reliqui ordines attributis  
" sibi salariis . 3. Reparantur quoque muri  
" & urbes : 4. Denique omnia alia prove-  
" niunt ,

“ niunt, quæ communem subditorum utilitatem concernunt.,,

Singula isthæc inædificata esse principiis justitiæ & æquitatis, æquus quilibet rerum arbiter sine hæsitatione confitebitur. *Militibus copiis* pro bonis suis officiis sua debetur merces & remuneratio; enim vero, “ Quis militat suis stipendiis unquam ? ” *I. Cor. IX. 7.* Imperans porro sua provida gubernandi ratione securitatem publicam per militares copias conservando, stipendia ipsis procurare & solvere non tenetur è bonis suis propriis: ergo tributa in hunc finem necessaria præstare debent subditi.

*Præprimis insuper in rebus publicis & regnis proportionata remuneratio tribuenda est illis, qui publicis civilibus funguntur officiis; idque non in honore duntaxat, sed & in pretio, seu competente salario;* “ dignus est enim operarius mercede sua ” *Luc. X. 7.* quæ & veritas altâ juris naturæ voce ac ratione urgetur. Pertinent etiam huc universi, qui suas ex officio pro bono publico consecrant operas. Id certum quod salus reipublicæ multum dependeat à perfecta administratio- ne & functione eorum, qui in publicis con- stituti sunt officiis; at vero horum zelum, diligentiam & obligationem augeri per hoc, quod ad eos diffuat recompensatio eorum labori commensurata, nemini dubium esse potest.

Non exiguae quoque expensas in bonum reipublicæ faciunt imperantes, dum extrahunt, reparant arque conservant publica ædificia, vias publicas omnibus tantopere proficuas, fortalitia, Pontes, mænia & portus, quæque sunt alia hujus generis plurima. Igitur in hos aliósque fines subditi concurrere debent per tributa imperantibus præstanda; imperantes enim non ex propriis, sed ex contributis bonis providere tenentur communibus commodis & necessitatibus. — Competit porro imperanti sustentatio suæ dignitati correspondens; quem in finem passim adsignata sunt certa bona ad augustum canonem pertinentia, quæ & bona coronæ, vel domania vocant: à quibus tamen distincta sunt imperantium bona patrimonialia, & alia, quæ titulo quovis justo sibi propria effecerunt.

Hoc etiam loco memoranda sunt bona, quæ imperantes concernunt ratione fisci striè sunt, veluti mulctæ & confiscationes; aut in sensu latiore, ut loca deserta, varii montes, thesauri, mineralia, forestalia, salinæ, carbonaria, adjacens seu angustis locis inclusum mare, fluvii sua territoria adtingentes cum adnexis juribus atque proventibus, &c.

Itaque scaturigines seu fontes, è quibus derivantur subsidia pro manutenendis gubernandisque regionibus necessaria varii sunt pro territorialium varietate. — In rem hauc maxi-

maximè contribuunt commercia debitè regulata & florentia, agricultura rectè instituta solertique labore ad suos provecta apices, simul atque à pernocivis ferarum nimis copiosarum incursionibus contutata; item res pecuaria, aliaque media, è quibus subditi, ceu scaturiginibus sibi non obstructis, tributa haurire possunt, quæ imperantibus justè sunt expendenda.

## §. II.

### *De jure exigendi tributa & vectigalia.*

**T**ributa, quæ stabili territorii lege præstanta sunt à subditis pro suarum ratione possessionum, *ordinaria* vocantur; si verò speciali emergente necessitate indicuntur & postulantur à imperantibus pro singularis hujus necessitatis sublevatione *extraordinaria* dicuntur. Postulare ac percipere tributa, ad immanentia spectat jura majestatica, quod proinde jus perfectum est, atque in ipso imperio & subjectione fundatum, respicitque profine reipublicæ salutem, & internam externamque securitatem. Intervenit igitur ratio paci utrumque suscepti, ex parte imperantis nempe recto ordine cuncta gubernandi & administrandi, atque ex parte subditorum praestandi subsidia, quæ eum in finem requiruntur.

Quamvis

Quamvis autem jus istud sit *absolutum* per se se, potest tamen quoad modum esse *limitatum*, si per leges fundamentales restringatur; quo casu ordines, aut provinciae status sunt audiendi, ne subditi ultra modum graventur.

Præter tributa jure præstanda, tribui quoque debent vectigalia. "Cui vectigal, vectigal...," Rom. XIII. 7. — Porro justis imperantium sanctionibus debetur obedientia, etiam pro foro interiore conscientiæ; atvero leges huc pertinentes justas esse nemo iverit inficias: ergo vectigalium solutio obligat pro utroque foro; adeoque sic dicta *mera penalitas* locum non obtinet. Idem dicendum, de oneribus aliis, quæ mercibus rebusque aliis legitimè sunt imposita.

Solvendum, sive reddendum esse censum, præter rationes hucusque addatas: conficitur etiam ex eo, quod refert Matth. Cap. XXII. v. 15. seqq. "Pharisei consilium inierunt, ut caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum herodianis dicentes: magister, scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum: dic ergo nobis, quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari, an non? Cognitâ autem Jesus nequitiâ eorum, ait: quid me tentatis, hypocritæ? Ostendite mihi numisma censûs. At illi obtulerunt illi



“ illi denarium. Et ait illis Jesus: cuius  
 “ est imago hæc & superscriptio? Dicunt  
 “ ei: Cæsar. Tunc ait illis: reddite ergo  
 “ quæ sunt cæsar, cæsari; & quæ sunt Dei,  
 “ Deo. Et audientes mirati sunt, & relicto  
 “ eo abierunt.,,

Jus imperantium reposcendi tributum &  
 censum, imponendi vectigalia & onera rebus  
 alia vel maximè evolvitur ex fine rempublica-  
 cam rectè gubernandi; enumerata enim pun-  
 eta sunt totidem media ad memoratum fi-  
 nem gradatim pertingendi: & aliunde no-  
 rum est, quod is, qui habet jus ad finem,  
 jure quoque gaudeat ad ordinata media in  
 hunc finem necessaria. *Ordinata* inquam:  
 nam exactiones *immodicas* à ratione medii or-  
 dinati desciscere, nemini dubium est. — Ju-  
 sta insuper servari debet proportio, quin  
 personarum acceptio interveniat. Quocirca  
 inquit *Heineccius Lib. II. f. N. & g. Cap. VIII.*  
*§. CLXXII.* “ Cùm communis reipublicæ  
 “ onera communibus erogationibus ferenda  
 “ esse ipsa æquitas doceat; consequens est,  
 “ ut unus civis præ reliquis non sit oneran-  
 “ dus, adeoque ei, cui re suâ communis sa-  
 “ lutis utilitatisve causâ carendum est, ex  
 “ ærario vel arca publicâ satisfieri debeat;  
 “ & si vel maximè id non in continentि  
 “ fieri possit, id tamen postea suo jure exi-  
 “ gant illi, qui re sua exciderunt. ”

### §. III.

#### *De administratione ærarii.*

**T**ributa, vestigalia aliquae redditus debitæ ratione colligi, in ærarium referri atque dein in usus publicos impendi, proinde rectè administrari debent. — Officia isthæc in republika necessaria sunt, bona sunt, recta sunt; etsi variis sint exposita periculis, adeoque viris concredenda rectè ac conscientiosè sentientibus, ne imperantes & subditi defraudentur.

Circa rem hanc Zallinger Lib. III. f. N. p. CCCXXI. loco sui adducit Zechium inter alia sic perorantem: "Nolo mentionem facere de administratoribus publicam pecuniam malitiosè intercipientibus & retinentibus, contra quos agit lex julia de residuis: neque de aliis non administrantibus, qui pubblicas pecunias surripiunt, quos persequitur lex julia peculatorius; sed de iis solummodo administratoribus loquor, qui nolunt quidem dolosè fisco principis, aut ærario publico detrimentum inferre, rationesque acceptorum & expensorum reddituum accuratè exhibent; nihilominus interim, quamdiu pecunias in manibus tenent, iis utuntur ad propria commoda, negotiando, emendo census annuos, prædia &c.



Pergit Zallinger : " De his accuratius  
 " agens (Zecbius) sequentia potissimum pro-  
 " fert: Leges graviter prohibent, ne colle-  
 " etores pecunias diutius apud se retineant,  
 " aut mutuas ex ærario sumant, aut ad ali-  
 " as necessitates sine sublimium potestatum  
 " iussione transferant, nisi malint gravissimam  
 " severitate suam licentiam coerceri. ,"

" Sunt administratores, qui pecunias  
 " ærario inferendas, vel ad publicos usus &  
 " occurrentes necessitates expendendas, sem-  
 " per in promptu ratione officii habere de-  
 " bent. Atque hi, si lucrum quærunt ex  
 " pecunia principis vel reipublicæ, contra  
 " gravissimas leges, & muneris sui obliga-  
 " tionem delinquent, omniisque percepto lu-  
 " cro privari possunt, præcipue in casu,  
 " quo res frugiferæ ex hac pecunia sunt  
 " emtæ ; potest enim fiscus eas cum lucris  
 " inde provenientibus vindicare vi legum,  
 " quæ militi, vel pupillo, vel ecclesia id  
 " permittunt. Omissa hac vindicatione vil-  
 " las emtas, & annuos census fieri ementis  
 " credo ; cum ipse planè non præsumatur  
 " gerere negotium principis, nec, ut po-  
 " nitur, ad lucrum principis ex publicis pe-  
 " cuniis quærendum obstringatur. Igitur  
 " lucrum ex ejusmodi pecunia quæsitum,  
 " initâ forsitan societate cum mercatore,  
 " censetur ex propria industria partum,  
 " proindeque secundùm vulgata juris prin-  
 " cipia transire ad dominium administrato-  
 " ris,

“ ris, qui tamen gravis culpæ & poenæ re-  
 “ um se facit, quia interest reipublicæ ejus-  
 “ modi pecunias semper teneri paratas ob-  
 “ improvisos casus, in quibus vel princeps  
 “ ad communem utilitatem iis indigebit, vel  
 “ administrator impotens reddetur ad eas ex  
 “ suis facultatibus compensandas. ”

“ Alia est conditio administratorum, ceu-  
 “ eorum, qui gabellas, aliisque tributa exi-  
 “ gunt, quique certo & destinato tempore  
 “ rationes reddunt, & collectas pecunias,  
 “ quas interim suo periculo tenent, non  
 “ ante illud tempus ærario inferunt. Hos,  
 “ ait cir. auctor, satisfacere videri, modo  
 “ statuto tempore id præstent, neque ante  
 “ id tempus dicuntur esse in mora: conse-  
 “ quenter non obligantur ad interesse qua-  
 “ titatis non solutæ. Quando autem inter-  
 “ esse non debetur, multò minus potest pe-  
 “ ti lucrum, quod exactor fecit; cum illud  
 “ sub proprio nomine tantum fecerit, &  
 “ quidem, si velimus verè loqui, ex pecu-  
 “ nia propria: nam tales exactores videntur  
 “ obligati ad pecuniarum restitutionem in  
 “ genere, ita, ut periculum sit penes ipsos,  
 “ si aliquo casu periret pecunia. Possunt  
 “ igitur singulos nummos in specie summos,  
 “ tanquam proprios permutare, & ad quos-  
 “ cunque contractus impendere, modò fa-  
 “ cultates eorum è se extendant, ut desti-  
 “ nato tempore solutionem principi, vel rei-  
 “ publicæ præstare possint; interim enim non  
 “ pos-

“ possunt dici morosi : nam ille , qui habet  
“ dilationem à lege , non dicitur esse in  
“ mora . ”

## §. IV.

### *De jure imperantis circa privata subditorum bona.*

**J**us sive dominium eminens penitus esse distinctum à dominio proprietatis , observavimus saepius . — Quantumvis igitur competit imperantibus jus istud eminens , vi cuius respublicæ rectè gubernantur ; subditi tamen bonorum suorum dominium proprietatis retinent , quin id imperantibus sit proprium .

Quoniam verò ex injuriâ temporum ac circumstantiarum easus necessitatis emergere possunt , quibus ob conservandum bonum commune publicamque securitatem , privatorum bona alienari debent aut destrui ; fieri idipsum & potest & debet , quia bonum commune prævalet particulari , & quia quodlibet civitatis membrum pro conservanda civitate ipsa id conferre tenetur & consecrare , à quo pro tali momento temporis reipublicæ salus , aut interitus penderet .

Circa hoc inquit Heineccius Lib. II. f. N.  
¶ G. Cap. VIII. §. CLXX. “ Cùm verò domini  
“ minium illud eminens potissimum se se  
exferat

" exserat in statu extraordinario, vel urgen-  
 " te necessitate; consequens est, ut impe-  
 " ranti fas sit, tempore belli privatorum  
 " agros castris occupare, iisdem monumen-  
 " ta operaque publica imponere, segetes  
 " pabulando colligere, vias publicas novas,  
 " deficientibus vetustioribus, per civium  
 " fundos munire, aedes suburbanas, ubi Han-  
 " nibal ante portas est, destruere, & quae  
 " sunt hujus generis alia. ,,

Necessitas ista extrema esse potest, aut  
 duntaxat vera & gravis. In effectus memo-  
 ratos aliósque, extremam non solum ne-  
 cessitatem sufficere, sed & gravem reipsa  
 subsistentem, aut proximè certoque immi-  
 nentem, sana docet ratio. — Consequitur,  
 praetextus quæsitos & coloratos sub neces-  
 sitatum specie fictos in hac causa nil ope-  
 rari legitimè, nihilque adferre patrocinii.  
 Pientissimorum igitur imperantium est, à  
 consimilibus usurpationibus & exactionibus  
 tum exemplis, tum legibus & poenis coer-  
 cere illos, quos subordinatos tenent in offi-  
 cio adpertinente constitutos.

Meretur hic iterum audiri Zallinger §:  
 CCXXXII. ubi & justinianum adducit: " Si  
 " subditorum bona à furibus ac latronibus  
 " tuta esse vi legum debeant; potiore jure  
 " exigent, ne quid à propriis magistratibus,  
 " judicibus & praefectis periculi & fraudis  
 " patiantur. Erit absurdum, inquit Justinia-  
 " nus

“ nus Nov. VIII. C. 10., si eos quidem, qui  
“ vilibus capiuntur furtis, ipsi torquebunt,  
“ & non primitus quiescunt, donec reddant  
“ furta; ipsi autem innoxii manserint in  
“ maximis constituti furtis ,.

## CAPUT VII.

### *De administratoribus Reipublicæ.*

#### §. I.

*Constituendi sunt officiales unde quaque idonei.*

**I**mperantibus concessa est jurisdictio in suos subditos, sive potestas tum per se, tum per subordinatos constitutos in officio viros rem publicam ita gubernandi, ut praestituti fines debite adtingantur. — Horum ab electione virorum salus reipublicæ plurima ex parte dependet; manifestum est quippe, quod ex bonâ civitatis aut regni administratione grande bonum, è contra ex administratione mala malum ingens enascatur. Imperantes itaque idoneos feligendo & instituendo ministros, consiliarios &c., ingentem reipublicæ salutem parant atque contribuunt ex officio; adeoque in eorum delectu summè prvidam debent adhibere circumspectionem & curam, ut quæ patriæ patres subditorum sibi concreditorum felicitatem tam per se, quam per suos administratores omnimode promoveant.

Hujus

Hujus intuitu delectūs occurrere possunt indigni, digni, vel digniores. — *Indigni* judicandi sunt illi, qui aut aperto per leges introducto laborant impedimento, aut officio, de quo agitur, debitè gerendo sunt impares. — *Digni sunt*, qui à memorato impedimento immunes, ex parte intellectūs competentem habent scientiam & in agendis prudentiam, & ex parte voluntatis sinceram, probam rectamque intentionem, & in aliis sufficientiam officio, ad quod ordinantur, in bonum reipublicæ cum fructu sperato satisfaciendi. — *Digniores* illi sunt, qui memoratis qualitatibus in gradibus magis eminentibus, ac præcelsioribus insigniti adinveniuntur.

Quodsi convenienter duo, quorum unus majore quidem ornatus est scientiā, alter vero, scientiæ etsi quodammodo minoris, adtamen undequaque sufficientis, per officii istius administrationem præ alio majorem uberiorēisque reipublicæ fructum referre dignoscatur, hic alteri præferendus esse judicatur; quia per id reipublicæ finis, salus nempe uberior, proprius adtingitur.

S. Thomas circa acceptiōnem personarum, & materiam præsentem ita differit: “ Quia personarum acceptio est, cùm alii quid personæ attribuitur præter proportionem dignitatis ipsius; considerare oportet, quod dignitas alicujus personæ po-



“ test adtendi dupliciter: uno modo simpli-  
“ citer & secundum se; & sic majoris digni-  
“ tatis est ille, qui magis abundat in spiri-  
“ tualibus gratiae donis: alio modo per com-  
“ parationem ad bonum commune. Contin-  
“ git quandoque, quod ille, qui est minus  
“ sanctus, & minus sciens, potest magis  
“ conferre ad bonum commune propter po-  
“ tentiam vel industriam secularem, vel  
“ propter aliquid hujusmodi,,. 2. 2. q. 63, a. 3.

Distinguenda etiam sunt officia realia li-  
ve onerosa ab iis, quae duntaxat titularia seu  
honoraria dicuntur: nam in distribuendis ho-  
norariis non tantopere ad subiecti capacita-  
tem adtenditur, quantopere in distributione  
officiorum onerosorum, quorum intuitu im-  
pingi potest contra justitiam distributivam.

Præter viam distributionis etiam via  
electionis devenire quis potest ad officia in  
republica sive sacra, sive civili. — Ipsa rel-  
publicæ salus exigere videtur, ut cum jure  
suffragii connexa sit obligatio præferendi  
digniorem; jus enim suffragii in sua radice  
profluit ex eo, quod eâ ratione bonum com-  
mune meliore quovis modo promoveatur;  
qui profectò non adtingitur finis, si rejecto  
digniore vota restringantur ad eum, qui  
communitatis bonum dictâ ratione promo-  
vere aut nescit, aut omittit. Eligentibus ita-  
que gravis incumbit obligatio, sine parria-  
litis studio, sine personarum acceptione, si-

ne respectu commodi proprii, & sine motivo quocunque sinistro suffragia sua conferendi illis, qui bonum commune, sive salutem omnium magis magisque procurare solitè volunt, & possunt.

Possunt insuper obtineri officia per *concursum*, dum nimirum à superiore competente publica indicitur convocatio concorrentium, eâ lege, ut illi, qui præ aliis eminentiora circa materias substratas exhibuerint specimina, ad ea, quæ præ manibus sunt, officia promoteantur.

Nemo non videt, quod inter eos, qui concursum convocant, & inter concurrentes interveniat *pactum*. Consectarium est, quod ei, qui se se dignorem probavit, præferentia debeat ex stricta justitia; adeoque si postponatur aut negligatur, gravis eidem infligatur injuria resarcienda ab eis, quorum culpa fuit illata. Concurrentes itaque pro rata majoris probatæ dignitatis & capacitatis jure gaudent perfecto in eos, quorum interest rem hanc determinare ex officio.

De collatione officiorum libera, videlicet extra electionem, concursum, pactum onerosum &c., sequentia statuit Zallinger *Lib. III.*  
*J. N. p. §. CCXXXVI.* "Munera ac dignitates, quæ liberae collationis sunt, generaliter dignioribus conferenda esse, dubium non est; secus enim penitus tollitur æmulatione latio

“ latio eorum, qui ad publica munera se se  
 “ præparant, languescit ardor studiorum,  
 “ ac conatus se se perficiendi. Non tamen  
 “ negare ausim, supremum dispensatorem  
 “ munerum ac dignitatum promovere ali-  
 “ quando posse, omissis dignioribus, etiam  
 “ minus dignum, qui tamen obeundo offi-  
 “ cio impar non sit; quia penes supremum  
 “ dispensatorem non modò potestas esse de-  
 “bet bona communia dispensandi ex rigore  
 “ justitiae, sed etiam per viam gratiae, præ-  
 “ fertim siqua intervenit causa, quæ gene-  
 “ ratim in commune bonum redundat. Illud  
 “ manifestum, si indignis conferantur mune-  
 “ ra & dignitates, tum quidem publicæ rei  
 “ administrationem maximè turbari, bonos  
 “ torpescere, honestam æmulationem defer-  
 “ vere, & à dignis quoque munera negligi.”

## §. II.

### *De obtinendis debita ratione officiis.*

**P**erveniendi ad officia & dignitates variae  
 quidem viæ feliguntur; num verò recta sit  
 semita quævis, quæstio est alterius indaginis.  
 Mediis ineptis atque illicitis hunc quærere  
 & adtingere finem utique absonum est, &  
 jure prohibitum; id quod & passim connec-  
 titur cum præjudicio aliorum ad idem offi-  
 cium rectè aspirantium, simul atque cum  
 damno boni communis; quoniam inversâ hac  
 ratione promoti communi non tam, quam  
 pro-

proprio commodo invigilare solent & in-  
cumbere. Meritò iporro timendum, ne illi,  
qui non reformidarunt officia indebitè obti-  
nere, eadem quoque indebitè sint admi-  
nistraturi.

Itaque præter qualitates subiecti supe-  
rius recensitas, debitus requiritur modus ad  
officia isthæc pertingendi. Possunt debentque  
imperantes officia conferre dignioribus, aut  
profecto re ipsa dignis; num verò illos, qui  
irregulariter, modisque vitiosis officia quæ-  
runt, dignos ex omni parte, ac reipublicæ  
utiles judicare possint, quilibet causæ istius  
conscius facile definiverit. Illud omnino con-  
fectum est, quod illi, qui pro consequendis  
officiis illicitas artes exercent, ab eorum ad-  
secutione repudiandi sint.

Illi porro, qui officia acceptant & adeunt,  
dum tamen suæ insufficientiæ, imbecillitatis  
& ignorantiae sunt consciæ, gravissimæ con-  
scientiæ laqueis se se implicant, & tam pri-  
vato, quam communi bono in decursu gra-  
via infligunt vulnera, ad quæ viâ restitutio-  
nis sananda omnino tenentur. Optimè etiam  
monetur Eccli VII. 6. "Noli querere fieri  
" judex, nisi valeas virtute irrumgere ini-  
" quitates: ne forte extimescas faciem po-  
tentis, & ponas scandalum in æquitate tua,".



### S. III.

#### *De dimissione ab officiis.*

Possunt obtineri officia variis modis; unde & sic, quod in privatione officiorum habenda sit ratio indolis officii istius, de quo agitur. — Illud statuendum pro regula, neminem rationabiliter invitum & sine culpa spoliandum esse officio legitimè acquisito. Ubi tamen notandum est, officia alia esse temporaria, sive determinato temporis spatio adfixa, alia vero perpetua, quae non nisi cum morte possidentis extingui solent. In temporariis tradita obtinet regula pro omni tempore praefixo, cui tale officium adligatur; atvero in perpetuis tota habilitatis & vitae ratio adrenditur.

Porro officia possunt esse hereditaria seu personalia; quae proinde post mortem possidentis transeunt ad competentem familiæ heredem. Quodsi ex parte possidentis tanta interveniat culpa, ut is officio hoc sit privandus, culpa isthæc heredi non nocet, qui proinde jure succedit,

Siquis v. g. extraneus postulatus publicum sit nactus officium per specialia pacta inita cum principe, magistratu &c., à tali officio dimitti nequit, quamdiu stipulatis satisfacit conditionibus, neque deest officio debite administrando. Si nihilominus officio priuaretur, laederetur justitia, ne subintraret ex parte

parte laudentis obligatio restitutio*nis*. — Officia, quae sub multum onerosis obtinentur conditionibus, veluti sub expensione gravis summæ pecuniae, sub dimissione alterius præhabiti boni officii, aut cum onere ineundi cum determinata persona matrimonii &c., perpetua, seu ad tempus viræ durantia censentur.

Ab officiis, quae sunt collationis omnino liberæ & gratiæ, si quis dimitatur, sufficiens utique etiam ratio suffragari debet; qua non subsistente, si non justitia, adtamen naturalis æquitas laeditur. — Siquis plectetur cassatione cum infamia, pergrave legaliterque evictum subesse deberet delictum; secus enim justitia violaretur, ob violatum jus perfectum, quod quivis habet in famam suam.

An vulgatum istud: *promoveatur, ut amo-  
veatur, continet principium rationis suffi-  
cientis, dubitari potest.* — Si motivum uni-  
cum promovendi aliquem ad officium no-  
vum sit hæc, ut ab eo, quod tenet, officio  
amoveatur, ratio naturalis sufficiens non in-  
tervenire videtur; eo quod tunc non tam  
ad ipsam pro bono publico officii admini-  
strationem, quam ad peculiares personæ cir-  
cumstantias in munerum distributione adten-  
datur. Aliunde etiam confectum est, quod  
officia non sint propter personas, id est,  
non contribuenda præcisè lib. bonum perso-  
nale



nale illius, cui de eo providetur, sed persona propter officia, ita nimirum, ut talibus sint conferenda subjectis, quae ea non tam in bonum personale proprium, quam in bonum commune administrant. — Nihilominus vulgatum istud locum habere potest, si sufficiens suadeat ratio quenquam à præhabito amovendi officio, eundemque promovendi ad novum etiam nobilius, cui administrando & vires requisitas, & voluntatem promtam habere omnino dignoscitur; id quod in similibus eventibus ex parte promoventium observari supponitur.

## CAPUT VIII.

*De concurrentibus ad debitam justitiæ administrationem.*

### §. I.

*De supra <sup>me</sup>ma jurisdictione civili, ejusdemque subjecto.*

Definitionem ac divisionem potestatis sive imperii civilis tradidimus supra in J. N. P. Cap. II. §. I. ubi & concernentes illustraciones subnexæ conspiciuntur. — Potestas isthac seu jurisdictione civilis, quatenus etiam judicaria est, pro debita justitiæ administratione summe est necessaria; enimvero sine ea securitas

clritas & tranquillitas nec obtineri, nec conservari, nec restituī potest: quis namque & res suas, & sua jura integrè obtinere, quietè conservare, & debitè recuperare potest, si potestas ista suprema non subintret, ac tribuat cuique, quod suum est?

Potestatem illam supremam residere apud imperantem, nemini dubium esse potest, si ratio imperantis & judicis debitè ponderetur: eadem quippe utriusque est notio: unde & imperii tenere habenas, & competentis judicis exercere officium idem ipsum omnino visum est nationibus universis: & dum Israelitæ apud Samuelem petebant Regem, in modum loquebantur sequentem: "Constitue nobis Regem, ut judicet nos, sicut & universæ habent nationes." I. Reg. VIII. 5.

In tanta populorum ac negotiorum multitudine potestatem judiciariam non per solos imperantes exerceri posse nemo non videt: unde necessum est, ut pro ratione amplitudinis statuum instituantur collegia judicum subalternorum, qui in partem solicitudinis vocati, secundum regulas justi & æquicæs causas occurrentes decernant, modo quidem, quo fieri potest breviore ac meliore; etenim partes concernentes longis inutilibusque fatigare & exhaustire ambagibus, ab ipso sanæ rationis tribunalī damnatur.

Cum porro nemini fas sit involare in jura aliena, perspicuum est, jurisdictionem ci-



civilem se se non in alios, quam in civiles extendere effectus, atque in personas huic foro subjectas; nam neque in causa ad jurisdictionem non pertinente, neque in personam non subjectam jus dici potest; & notum est aliunde, quod in jure dicendo maior nequeat defectus committi, quam defectus jurisdictionis.

Imperantibus itaque ceu judicibus supremis, eorundemque subalternis, aut delegatis competit concernentium subditorum causas cognoscere atque dirimere. Huic potestati judiciariae correspondebat obligatio ex parte subditorum in prosecutione juris se se eidem subjiciendi, neque sibi met ipsi jus dicendi; id quod si quis adrentaverit, alium viam facti re privando, quam suam esse judicaverit, spolium committitur, & subintrat regula: spoliatus ante omnia est restituendus; item: pendente lite nihil innovetur.

Quia denique potestas judiciaria in ipsa summorum imperantium jurisdictione continetur, hinc omnium tribunalium ab imperante ectorum potestas propriè derivata censeri debet, etsi certo sanoque sensu etiam ordinaria vocari possit, aut debeat. — Cl. Zallinger rem hanc in modum expendit sequentem: "Quia jurisdiction ex fine civitatis profluit & cum summo imperio cohæret, idcirco omnis alia judiciaria potestas in civitate

" vitate & causis civilibus per se censetur  
 " subalterna ac demandata ab imperante;  
 " quod non obstat, quo minus secundum  
 " receptam divisionem jurisdictionio alia dica-  
 " tur ordinaria, alia delegata; illa enim exer-  
 " cetur ex munere proprio, sed tamen de-  
 " mandato ab imperante: hæc ex commis-  
 " sione juris, vel hominis, estque distincta  
 " à jurisdictione illius, cuius nomine, vice  
 " & auctoritate exercetur. Nihil igitur ju-  
 " dici subalterno citius agendum est, quam  
 " ut noscat limites potestatis sibi demanda-  
 " rae; si enim excedit, usurpat jus, quo ca-  
 " rer, ac injuriam infert cum litigantibus,  
 " tum superiori, cuius auctoritatem sibi ar-  
 " rogat. Ex varietate, quâ jurisdictionio à su-  
 " premo imperante in subalternos judices  
 " derivatur, nascitur diversitas fori pro cau-  
 " sarum & personarum conditione. Est fo-  
 " rum ordinarium, extraordinarium, com-  
 " mune, vel singulare relata ad certas per-  
 " sonas; quale est forum militare, academi-  
 " cum &c. Denique relata ad causam & per-  
 " sonam simul jurisdictioni subjectam aliud  
 " competens, aliud incompetens vocatur

*Lib. III. f. N. p. Cap. IX. §. CCX. 4.*

## §. II.

### De Judicio.

Jurisdictionis seu potestas judiciorum tributa  
 est imperantibus, ut justo judicio contro-  
 versias

versas subditorum causas dirimant, tribuendo cuique quod suum est, insuper & securitati publicæ per adtemperatam delictorum castigationem prospiciendo.

Ratio itaque seu *notio* judicii passim fitgitur in eo, quod sit recta ex parte judicis competentis discussio ac definitio causæ, quæ agitur inter actorem & reum. — *Divisio* judicii abit in *civile*, de quo potissimum hoc loco, & in *criminale*. In judicio civili maxime intenditur commódum privatum ex parte illius qui litem moveret; atvero in criminali debita punitio ac repressio delictorum filum ducit.

Conficitur ex his, quod in judicio tres personæ principales in scenam prodeant, vel delicet judex, actor, & reus. Actor ille vocatur, qui litem contra alium movet, reus autem contra quem causa instruitur, sive qui accusatur, sive jam à parte rei sit reus, sive non. — Vices accusatoris sive actoris in causis criminalibus supplere possunt sufficientia delicti commissi indicia & signa huc facientia, utpote quæ per semetipsa loquuntur & accusant.

Quemadmodum in aliis, ita & in causa judiciali specialiter attendendus est finis, qui consistit in eo, quod per maturam & imparialem causæ ventilatæ discussionem ac definitionem enascatur ac concernentibus impendatur.

pendatur illud, quod ipsis de jure competit. Hunc in effectum & finem necessarius est ordo judiciarius. Spectanda quoque sunt iura & obligationes judicis, simul atque partium litigantium: vel maximè attendenda est veritas rei, bona fides, ac merita causæ.

Quidquid repugnat conscientiæ personarum in judicio concurrentium, illud etiam juri naturæ repugnat, adeoque nullo fuso, nullaque formalitate sanari potest saltem pro hoc interiore conscientiæ foro: unde etsi quis casu tali pro foro externo justificatus esset, minimè tamen oppositi conscius rem hanc pro judicata suscipere posset, aut sibi adtribuere, quod sibi non competere noscit. Juges etiam acutissimi sunt homines, proinde falli possunt & decipi, idque quandoque decernere justum, quod secundum allegata & probata in foro externo tale videtur; etsi à parte rei injustum sit & iniquum. "Homo enim videt ea, quæ parent; Dominus autem intuetur cor ,. I. Reg. XVI. 7. Huc etiam pertinet illud, quod judex condemnare nequeat illum, quem privatâ certaque scientiâ noscit innocentem, etsi in foro externo reus esse probetur; jus enim naturæ cedere nequit juri humano: atvero damnare innocentem juri naturæ repugnat.

Aptè igitur juris naturæ consulti ordinem judiciarium dividunt in naturalem, & in civilem. Naturalem eum nuncupant ordinem

nem judicii, qui generatim in adcurata causa cognitione atque in singulis ad hanc cognitionem necessariis, insuper & in sententiis & illius executione consistit. Civilis permulcas continet formalitates ad causae cognitionem & decisionem à jure utiliter ac provide præscriptas, secundum quas proinde ordo procedendi ac sententiandi instituendus est atque tenendus saltem ab omnibus judicibus subalternis: Summi quippe imperantes formalitatibus istis à se se constitutis derogare possunt, gaudentque jure causam dirimendi de plano, dum ipsis de veritate constat ad sufficientiam.

Ordo judiciarius naturalis pro cognitione causæ tria potissimum deposita capit, videlicet petitionem actoris, citationem & exceptionem rei puncto juris & facti, probationes, earumque elisiones quatenus id res ventilata patitur.

Sed & juris & ordinis naturalis est notissimum istud & justissimum juris consultorum effatum: audiatur & altera pars. Sanè non parum luminis causæ substratae adfunduntur, si ea, quæ ab auctore sunt allegata, à denunciato expendantur. Deinde naturalis quoque inclamat vox rationis, neminem esse damnandum, nisi præviè habuerit copiam se defendendi, ac sua jura probandi ac manutendendi; multa enim auditâ sola parte una induens rerum faciem nunc hanc, sed longe aliam

diām tunc, quando & audita fuit alterā pars: quisquis igitur *auctor facti* aut *reipsa est*, aut esse insimulatur, in causam vocandus est, & debita ratione audiendus, antequam ferenda sententia. Profecto, qui facile credit, facile decipitur: unde iudices, ac superiores in ferendis sententiis omnem tenentur declinare præcipitantiam, ne cum damno & *injuria* tertii causam ineptè dijudicatam ex post faciare frustra laborent, dum plaga facta est insanabilis. — Circa hanc etiam materiam in S. Scriptura legimus sequentia: “Festus (præses provinciae) Regi indicavit de Paulo, dicens: vir quidam est cœrelictus à felice vincitus, de quo, cum essem jerosolymis, adierunt me principes Sacerdotum & seniores judæorum, postulantes adversus illum damnationem; ad quos respondi: quia non est romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.” Aet. XXV. 14. 15. 16.

### §. III.

#### *De iudice.*

Judicis officium est gravissimum, ac ponderosum implicatum obligationibus; virum ergo reposcit scientiâ insignem, ac virtute præfulgidum, talem nempe, qui ducente scientiâ ac prudentiâ potest, & purâ recteque ordinatâ

dinatâ intentione *vult* administrare justitiam, in cuius administratione genus omne partialitatis constantissimè ac longissimè abnegendum est: neque respectus humanus, neque præpotentia virium, aut æris, neque caro & sanguis, quæque hujus generis sunt alia, in sanctuarium istud ullum unquam audiunt debent movere pedem; judices porro inflexibles esse debent atque inexorabiles, quando agitur de justa ferenda sententia, quin illum vel ad preces, vel ad recommendationes, vel ad munera & oblationes respectum habeant; agitur enim hic de jure tertii, quem suo privare jure nemo auspic sub titulo qualicunque: rectè namque passim adseritur, quod tribunal judicis sit portus innocentiae, & tutum contra injurias refugium; à quo neminem excludere, & in quo neminem supprimere licet; sed singulis tribuendum est illud, quod ipsis de jure competit relatè ad universos etiam quacunque dignitate resurgententes.— Fiat justitia, & pereat mundus: quippe non mundana, sed sancta & justa motiva justitiae causam dirigere debent atque dirimere.

Varii sunt scopuli, quos devitare tenentur judices. Cavendum ipsis est à perturbantibus & irritantibus animi passionibus, in quibus animale saepius rationale superat, ut ita causa tam in inquisitione, quam in decisione permultum patiatur: sanè non parum nocent furor, & abripiens iracundia, vi cuius nec

nec actor, nec reus debitè auditur, proin  
nec causa concernens rectè decidi potest. —  
Porro timor amittendi amicos aut consimile  
quidquam, & cupido acquirendi pecuniam,  
munuscula &c. officio judicis gravissima fo-  
lent infligere vulnera. Timor iste, talisque  
cupido potius in proprium judicis, quam in  
partium litigantium propendent emolumen-  
tum. Omnis denique contra unum vel alte-  
rum præventio abscindi debet, adeoque spe-  
cialis affectio personæ in causam judicij in-  
fluens, & omne odium personale scrupulose  
vitanda sunt & excludenda.

Itaque post impartialem, circumspectam  
summèque diligentem causæ discussionem,  
intellectis nempe, recteque expensis proba-  
tionibus & exceptionibus judex ferre tene-  
tur sententiam definitivam meritis causæ un-  
dequaque adtemperatam, quin ipsi sit libe-  
rum in causis ambiguis aut æquè probabili-  
bus sententiam ferre pro amico; id quod si  
fuerit ausus, lædit jus tertii, atque ad resti-  
tutionem tenetur.

Probabiliora igitur & alteram partem  
vincentia argumenta sectari debent judices,  
& in horum consequentiam dicere ac pro-  
mulgare sententiam. Væ igitur illis, qui pro  
accipiendo pretio quasi venales habent sen-  
tentias, aut qui pretiis mediantibus sen-  
tentiam definitivam pronuntiant pro elargitore  
pretii, et si rationes & argumenta decidendi

sint in pleno æquilibrio; aut, quod pejus est si sententiam ferat judex pro eo, cuius causa ipsi forsitan probabilis viderur, et si causam illius, contra quem fertur sententia probabiliorem conspiciat.

Quodsi in tempore, quo post discussio-  
nem requisitam probabilior & viætrix adpar-  
rebat causa partis unius, sententia in hujus  
fuerit lata favorem, ac proinde res transie-  
rit in judicatam; postea autem dilucidè cer-  
tòque inveniatur, causæ partis oppositæ in-  
dubitatum jus adfistere, ac pristinam viætri-  
cem applicatam ex errore fuisse parti in se-  
se succumbenti, sententia erit non refor-  
manda solùm, sed etiam revocanda; enim  
verò veritati certæ cedere debet præsumptio  
vi cuius prior erat pronunciata sententia; in-  
super & nullibi cautum est, quòd nudus ri-  
tulus rei judicatæ competens sit titulus trans-  
ferendi dominia rerum, aut in materiis alijs  
consimilem operandi effectum.— Nil dolen-  
dum magis est, quàm si ex præcipitantia ju-  
dicum criminalium quis condemnetur, qui  
post sententiæ executionem innocens inve-  
nitur: cautissimè ergo procedere debent ju-  
dices in discutiendis decernendisque cau-  
sulis criminalibus.

Defectus hucusque memorati etsi hinc  
inde gliscere possint in judicandas ac deci-  
endas causas, oppidò tamen supponi non  
debent; sed potius reipublicæ bonoque com-  
munique

muni non parum interest, ut judicium ac  
tribunalium authoritas omni demum modo  
suffulciatur ac conservetur contra frivulos  
& iniquos competentium judicum accusato-  
res & actores, qui proinde in defectu pro-  
bationis puniendi sunt exemplariter.

## S. IV.

### *De actore & reo.*

**C**orrelativa sunt actor & reus; quia unum  
sine altero locum habere nequit, etiamsi a  
principio causæ incertum sit, utrum actor  
re ipsa jure procedendi gaudeat, & an incu-  
fatus tanquam reus revera talis existat. —  
Notio actoris figitur in eo, quod ille sit,  
qui alium juris experiundi causâ in judicium  
vocat; reus est contra, cui lis moveretur per im-  
putationem facti, quod actor allegat, & de  
quo suas nititur adducere & in effectum de-  
ducere probationes.

Quamvis pro manutentendo, aut recu-  
perando jure suo processus quandoque ne-  
cessarii sint; nihilominus pruritus actorum  
nonnullorum ad causas hujus generis exci-  
tandas & intruendas omnino refrænari de-  
beret, ne homines isti effrænes & se, & in-  
cusatos conjiciant in mare illud magnum,  
quod partium litigantium & opes, & animi  
tranquillitatem deglutiire solet. Sanè amica-  
bilis compositio etsi quodammodo tenuis,

pluris passim valere dicitur, quam processus  
ut cunque pinguis.

Quosi verò ad vindicandam justitiam necessarium fuerit procedere ad contentiosam & judicialem actionem, tam actori, quam reo suae incumbunt obligationes. Nosse ac pendere debet actor, quod delicta, debita, & facta non presumantur, sed debitâ ratione probari debeant: unde actor nihil probans, passim calumniari censetur, & à judice non solum reprehendendus, sed etiam puniendus erit; secus enim præbebitur ansa loco veritatum mendacia & calumnias in tribunalibus ac judiciis non sine gravi detrimento partis incusata exhibendi.

Reus, qui voluntarius dicitur, dum motu proprio se in judicio sistit, aut necessarius dum etiam invitus in litem vocatur, debito modo ad exhibita & interrogata respondere tenetur: aut si exceptionem habeat vel contra competentiam fori, vel contra ipsam judicis personam, vel alio sit munitus privilegio, horum competentem debet subministrare informationem. Denique tam actor, quam reus justam judicis sententiam suscipere, eique acquiescere tenetur, nisi fundatam adhuc rationem habere sibi videatur appellandi ad judicem superiorem.

In causis judicialibus partes litigantes interponere solent operam advocatorum & procuratorum

curatorum. — Advocati munus ponderosum est, ac permultis obnoxium obligationibus. Requiritur ex parte ipsorum plena scientia, ac pura conscientia: unde nusquam licet suscipere causam, cui debitè gerendæ requisitam non habent scientiam & experientiam, aut quam agnoscant penitus injustam, vel ita situatam, ut exilissima supersit spes eam evincendi; quare etiam sic dicti probabilistæ, qui nempe causam quamcunque, dummodo quodam modo ac tenuiter probabilis videatur, proprii emolumenti gratiâ suscipiunt, passim suspecti habentur. Id tamen verum est, quod causa, quæ à principio duntaxat verè probabilis videbatur, in decursu per illustrationem actorum probabilior imò penitus certa evadere possit, adeoque suscipere causas verè probabiles, etiamsi opposita à principio videatur probabilior, jus naturæ non vetat. Advocati etiam transactionem in rebus civilibus suadere non possunt, dum convicti sunt, quod causa delata sit penitus injusta; fieret enim tertio, causæ sue plenam justitiam ignoranti, injuria. — His igitur similibusque ut possit opportunè occurri incommodis, jure ordinatum est, & meritò, ut advocati sint probati atque legales, & suis in exhibitis propria subfigent nomina.

Quoniam partes litigantes tum ob distantiam loci, tum alias ob causas impedimento sœpè laborant causas suas tractandi personaliter; hinc & fas est ipsis præter ad-

vocatos adsciscere, suóque nomine constituerre procuratores, quorum officium est causam sibi demandatam non obiter ac perfunctoriè, sed cum diligentia exactissima gerere atque peragere, id quod ex ipsa causarum judicialium indole diffuit, utpote quas omnium concernentium personarum plena exactitudo concomitari deber. — Quodsi igitur procurator fuerit in mora culpabili, aut quod pejus est, in dolo malo, damnum inde emergens principali suo resarcire teneatur, eò quod ob pactum interpositum encatur ex parte principalis jus perfectum in procuratorem causam suscepit exactè gerendi in consequentiam obligationis perfectæ inde resultantis ex parte procuratoris. Conficitur ex his, quod tota procuratoris facultas quoad hoc pendeat à mandante seu principali, cuius mandatarius constituitur. Hoc igitur mandato deficiente, procurator adrogatorius seu *falsus* erit, ac processus reputabitur irritus, aequè, ac si audita non fuisset pars altera.

### §. V.

#### *De Jurisdictione criminali.*

**J**urisdictionem criminalem indigitari Rom. XIII. 4. his verbis: “Si autem malum feceris, time; (Principem) non sine causa gladium portat; Dei enim minister est, “yindex in iram ei, qui malum agit,” pas-

sim adseritur: gladius quippe potestatem in vitam & ipsam necem designare putandus est.

Naturalis suffragatur ratio, quod tam gravia hinc inde in societate humana graffentur crimina, quae non nisi per justam eorum necem, qui iis obnoxii sunt, elidi possint atque finiri. Securitas publica manutinenda est ab imperantibus, adeoque & media in hunc finem necessaria sunt adhibenda, dummodo in se te innoxia sint, nullique legi alteri repugnantia; & sanè securitas & vita innocentum præferenda est vitæ illorum, qui cruentâ perfidâque malitia hæc impetunt & violant bona. — Aliunde etiam compertum est, quod aliarum genus omne pœnarum sit insufficiens ad amo- lienda flagitia superius memorata, & hujus generis alia, relatè ad populi multitudinem in officio continendam; sicut enim in hu- manis nil pretiosius ipsâ vitâ judicatur, sic quoque nil timetur anixè magis, quam ranti amissio boni. Sicut porro ad conser- vationem corporis physici requiritur, ut absindantur membra putrida; ita quoque de corpore civili philosophandum esse vi- detur.

Quemadmodum penes imperantem non est sola puniendi potestas, verùm etiam vera obligatio; sic etiam obligatione ligatur vitia non solùm quomodolibet puniendi; sed ita pu-



niendi, ut pœna sit commensurata delicto,  
tali namque ratione vitia debitè refrænantur,  
& securitas publica conservatur. — Illud  
tamen ex eo non inferas: ergo nequidem  
*jus aggratiandi* competit imperantibus. Nam  
aggratiatio, quæ hinc inde in casibus extraor-  
dinariis ac specialibus locum obtinet, non  
rollit finem per pœnas generatim intentum.  
Interim frequentior indulgendi & aggratiandi  
usus passim improbatur, quia per id fi-  
nis generalis, publica nempe securitas, in-  
firmaretur; eò quod facinorosi quasi gene-  
ralem concipere possent atque fovere spem,  
fore, ut in casu deprehensionis & apprehensio-  
nis idem aggratiationis beneficium ipsis impen-  
datur, quod ad alios hucusque copiosè defluxit.  
— Illud certè cavendum, ne aggratiati delin-  
quentes, qui præmeditatis, malitiosis, ac  
qualificatis sunt implicati flagitiis, plenæ re-  
stituantur libertati; crimina quippe, quæ  
isti ex post non sine maximo reipublicæ de-  
trimento committunt, iis quoque imputan-  
da veniunt, qui homines, quos proximo  
denuo nocivos fore aut sciebant, aut scire  
seu prævidere debebant, libertati restituunt.

Gaudent igitur imperantes jurisdictione  
etiam criminali, proinde potestate hac  
uti debent, quatenus salus reipublicæ à de-  
bita illius administratione dependet: nam  
per pœnas delictis commensuratas res malæ  
propulsantur, bonæ verò consolidantur. —  
Est autem pœna *malum passionis infictum ob-*  
*ma-*

*malum actionis.* Vocatur porro pœna *malum passionis*, non eo tamen sensu, quasi pœna, quæ est aptum medium mala extirpandi, mala esset in se se; sed earenus duntaxat, quatenus ipsa mala seu afflictiva est illi, cui infligitur. Omnis igitur pœna præsupponit *malum actionis*, ita quidem, ut actionis istius malum reipsa sit imputabile illi, qui pœnam sentit; secus enim punitio non tam rationem adtemperati medii pœnalis, quam crudelem volupratem ex solo delinquentis dolore captam haberet, idquod tyrannide sapit, adeoque procul a finibus justitiae relegandum est: pœna igitur rectè dicitur *mensura culpæ*.

Dividi pœna solet in *assessoriam*, vi cuius quis ponitur extra statum ulterius nocendi; in *medicinalem*, vi cuius reus inducitur ad exuendum animum ulterius delinquendi, ac ad penitus resipiscendum; & in *exemplarem*, vi cuius quis ita punitur, ut & alii ejus intuitu pœnæ commoveantur ad abstinentium à malo, juxta illud: felix, quem faciunt aliena pericula cautum. — Insuper pœna criminalis dividitur in capitalem, & non capitalem: *capitalis* est, per quam infertur aut mors *naturalis*, aut mors *civilis*, neimper mediā, vel maximam capitis diminutionem, adimendo libertatem, vel jus civitatis: unde tres recenseri solent pœnæ capitales; videlicet ultimum supplicium, quæ vocatur *maxima*, *damnatio ad triremes*, me-



talla &c., quæ dicitur *media*, & deportatione in insulam, quam *minimam* vocitant. — Pœna criminalis non *capitalis* est, qua quis salvâ vitâ naturali & civili coeretur & castigatur, uti sit per relegationem, fustigationem, amputationem alicujus membra, stigmatis inustionem &c. — Aptè etiam hoc loco inseritur notio pœnæ *talionis*, quæ statuitur contra calumniatores, sive contra accusatores falsi criminis. Consistebat ergo pœna talionis in eo, quod falsi criminis accusator easdem deberet luere ac subire pœnas, quas de jure subire debuisset accusatus, si reipsa probatus fuisset obnoxius criminis, de quo falso fuerat accusatus. — Hæc tamen pœna, etsi justitiæ sit inædificata legibus, atque effectum contra calumnias producere optimum omnino valeat, extra usum passim esse posita conspicitur.

Circa subiecta, quibus infligi possunt pœnæ, jure positivo varia statuuntur, quæ juri naturæ ad primè consonant; horum igitur nonnulla hoc loco adferre juvabit; nempe: “*Sancimus*; ibi esse pœnam, ubi & “noxia est — peccata suos teneant auctores; nec ulterius progrediatur metus, “quàm reperiatur delictum „. Leg. *sancimus*, 22. c. de *pænis*. Item: “*Propinquos, notos, familiares* procul à calumnia submovebimus, quos reos sceleris societas non facit. Nec enim affinitas, vel amicitia nefarium crimen admittunt. „ Leg. cit. C. “ cit.

cit. — Denique : “ Crimen , vel pœna  
“ paterna nullam maculam filio infligere po-  
“ test. Nam unusquisque ex suo admisso  
“ sorti subjicitur , nec alieni criminis suc-  
“ cessor constituitur „. *Leg. crimen.* 26. *D.*  
*de pœnis.*

Neque hæc dissonant juri divino in sa-  
cris paginis *Exodi XX. 4. 5. § 6.* in mo-  
dum sequentem consignato : “ Non facies  
“ tibi sculptile , neque omnem similitudi-  
“ nem , quæ est in cœlo desuper , & quæ  
“ in terra deorsum , nec eorum , quæ sunt  
“ in aquis sub terra. Non adorabis ea , ne-  
“ que coles ; ego sum Dominus Deus tuus  
“ fortis , Zelotes , visitans iniquitatem patrum  
“ in filios , in tertiam & quartam generationem  
“ eorum , qui oderunt me : & faciens miseri-  
“ cordiam in millia his , qui diligunt me ,  
“ & custodiunt præcepta mea „.

Enimvero singularem felicitatem haud  
relinquere filiis parentum ad idololatriam  
pessimè deflectentium non tam pœna , quam  
justa privatio beneficiorum illorum censi-  
deber , ad quæ jus nullum quæsitus ha-  
bent præcipuò filii à talibus parentibus des-  
cendentes : aliunde etiam privatio ac cala-  
mitas ista undequaque idonea est ad con-  
cernentes quoscunque à nefandis hisce facti-  
tationibus absterendum ac retrahendum. —  
Videmus porro in humanis etiam rebus  
quandoque puniri familias ob delictum enor-

me capit is, uti in poena perduellionis, qua  
tamen relatè ad familiares, seu familiae  
membra capitalis non est, nisi & hi in per-  
duellionem conspiraverint.

Quoad Hæredem defuncti rei passim  
statuuntur sequentia: 1. quod hæres iste ex  
delicto defuncti non teneatur ad poenam,  
nisi nova obligationis causa solvendi multam  
pecuniariam accesserit aliunde. 2. Quod  
id contingere possit, si post litem contesta-  
tam, in qua agitur de persecutione poena  
pecuniariæ, reus hæres moriatur. 3. Et  
quidem à potiore, si ejusmodi poena per  
sententiam jam modò fuerit dictata. 4. Si  
quid ex delicto defuncti jam ad hæredem  
pervenerit. 5. Si ipse defunctus damnum  
compensare tenebatur in conscientia e bonis  
ad hæredem transmissis, & quidem ante  
judiciis sententiam. 6. Si in causa criminali  
solvendæ sint expensæ. Denique 7. si reus  
ex conscientia criminis, cui confiscatio &  
publicatio bonorum adhærescit, mortem  
sibi ipsi intulerit.

Præterea quandoque contingit, ut ex  
societate colligata peccet non unus aut al-  
ter, sed multitudo ipsa, sive cumulus, aut  
pars ejus spectabilis numero: quocirca se-  
quentia proponit S. Thomas Aquin. 22. q. 108.  
art. 1. ad 5. "Quando totæ multitudo pec-  
" car, est de ea vindicta sumenda, vel quan-  
" tum ad totam multitudinem, sicut ægyp-  
" til

“ tili submersi sunt in mari rubro, perse-  
 “ quentes filios Israel, ut habetur Exod. XIV.  
 “ & sicut Sodomitæ universaliter perierunt  
 “ Gen. XIX. vel quantum ad magnam mul-  
 “ titudinis partem, sicut patet Exod. XXXII.  
 “ in pœna eorum, qui vitulum adoraverunt.  
 “ Quandoque verò, si spectetur multorum  
 “ correctio, debet severitas vindictæ exer-  
 “ ceri in aliquos paucos principaliores, qui  
 “ bus punitis cæteri terreantur; sicut Do-  
 “ minus Numer. XXV. 4. mandavit suspen-  
 “ di populi principes pro peccato multitu-  
 “ dinis. Si autem non tota multitudo pec-  
 “ cavit, sed pro parte; tunc si possint ma-  
 “ li secerni à bonis, debet in eos vindicta  
 “ exerceri, si tamen hoc fieri possit sine  
 “ scandalo aliorum: alioquin parcendum  
 “ multitudini, & detrahendum severitati.

## CAPUT IX.

### *De Legibus.*

#### §. I.

##### *Notio Legis.*

Idea legis ex indole sua superioritatem in-  
 dicat & subjectionem, simul atque finem,  
 ob quem ista existit: quippe lex concipi ne-  
 quit, si non referatur ad superiorem su-  
 prema potestate seu jurisdictione munitum,

&amp;



& si non respiciat subditos , in quorum gratiam atque favorem , in publicam nempe felicitatem , ipsa est lata.

Itaque lex passim definitur , quod sit stabilis agendorum & omitteborum ratio à potestate publica communitati præscripta & promulgata in ordine ad bonum commune promovendum ac consolidandum .

Legis igitur ratio stabilis esse debet , non eo quidem sensu , quasi in se se esset immutabilis , quæ immutabilitas soli convenit legi naturali absolutæ ; sed quod ex intentione legislatoris maneat invariabilis pro omni illo tempore , quo illam aut immutare , aut abrogare non exigunt circumstantiae ac generale bonum communitatis . Differt ergo lex per stabilitatem suam à simplici præcepto , aut peculiari jussu & mandato , ergo id etiam ab ipso imperante procederet ; hæc enim non tam communitati , quam privatim personis imponuntur ad speciale tempus , & ob rationes maximè privatas .

Præscribitur lex à potestate publica ; etenim potestas legislativa non cuilibet competit superiori ; verum iis duntaxat , qui suprema in subditos jurisdictione pollent . Sane , cum subjectum legis sit universus subditorum cumulus , qui totus legi se subjice re tenetur , & finis legis univale hujus sacerdatis bonum , consequens est , quod leges nemo

nemo ferre possit , qui supremâ in totam  
societatem jurisdictione , seu potestate pub-  
lica non gaudet : unde etiam extra territo-  
rium jus dicenti non paretur impunè . —  
Differt igitur lex à *consilio* , utpote quod ex re-  
gula suasoria de promtum per se non obli-  
gat , cum tamen lex , utpote ex regula ob-  
ligatoria diffluens ex indole sua veram im-  
ponat obligationem illis , qui legislatoris ju-  
risdictioni sunt subiecti .

Differentiam legis & consilii Puffendor-  
fius de j. N. & G. lib. I. c. 6. n. 1. & 4.  
in modum tradit sequentem : " A consilio  
lex differt , quod per illud , rationibus ex  
ipsa re petitis , ad suscipiendum quid aut  
omittendum , adducere quis conetur illum ,  
in quem , saltem quoad præsens nego-  
tium , potestatem non habet ; sic , ut ob-  
ligatio nulla ei directè adferatur , sed in  
arbitrio ejus relinquatur , sequi velit con-  
siliū , an minus : et si consilium obliga-  
tionem præbere possit , quatenus notitiam  
alicui imprimit , quæ obligationem parit ,  
aut auget . Sic medicus pro imperio ne-  
quit ægroto præscribere , quid ipsi adhi-  
bendum , quibus abstinendum ; sed dum  
ostendit , quid huic salutare sit , quid ex-  
itiabile , ægrotus illuā amplecti , hoc fu-  
gere tenetur , non ex jure , quod in ip-  
sum medicus habet , sed ex lege naturæ ,  
quæ unicuique curam vitæ & in columita-  
tis suæ imperat . Lex vero , licet & ipsa

“ suis non debeat carere rationibus, hæc  
“ men propriè non sunt causæ, quare ipsi  
“ obsequium præstetur, sed potestas præci-  
“ pientis, qui, ubi voluntatem suam signi-  
“ ficavit, obligationem subdito adfert om-  
“ nino juxta præscriptum suum faciendi;  
“ etsi fors ipsi rationes præcepti ita liquidò  
“ non adpareant . . . in genere lex com-  
“ modissimè viderur definiri per decretum;  
“ quo superior sibi subjectum obligat, ut  
“ ad istius præscriptum actiones suas com-  
“ ponat .”

Illud fatendum, quod voluntas & po-  
testas legislatoris sit causa obligans *immediata*  
parendi; etsi rationes legis liquidò non ad-  
pareant: nihilominus etiam verissimum est,  
quod sola legislatoris potestas atque volun-  
tas legem confidere & imponere nequeat,  
si justum ac sufficiens motivum, simul atque  
justa, æqua & honesta legis materia, rec-  
tusque finis in legem non influant. “ Ratio-  
“ nabile sit obsequium vestrum. ” Rom. XII.  
v. I. — Procul ergo à pientissimis justisque  
legislatoribus sit illud: *Sic volo, sic jubeo,*  
*stat pro ratione voluntas.* Huc igitur spectan-  
tia legis requisita ex S. Isidoro adsignari  
Cap. Erit autem lex 2. dist. 4. ibi. proferun-  
tur in modum sequentem: “ Erit autem  
“ lex honesta, justa, possibilis, secundum  
“ naturam, secundum patriæ consuetudi-  
“ nem, loco temporique conveniens, ne-  
“ cessaria, utilis, manifesta quoque, ne ali-  
“ quid

“ quid per obscuritatem in captionem con-  
“ tineat , nullo privato commodo , sed pro  
“ communi civium utilitate conscripta . ”  
Sanè , notum istud : conditur utilitatis gratia  
lex , non condentis , sed eorum , pro quibus  
conditur , utilitatem respicit ; videlicet non  
privatum imperantium , sed commune ob-  
temperantium bonum publicamque salutem .  
Dirigit insuper lex mores subjecti populi  
versus bonum publicum ; ita nimirum , ut  
per actiones debite per legem regulatas &  
institutas tota societas præstitutam adtingat  
felicitatem ; quem & in finem concurrere  
debent universi , quo proinde sensu lex quo-  
que generalis esse debet .

Quoad privilegia à generalitate eximen-  
tia inquit author libri *de l'autorité des deux  
puissances* , Tom. pr. chap. II. de loix : “ Pri-  
vilegia , quæ sunt derogatio à lege gene-  
rali , primo intuitu aliena esse videntur à  
natura legis : interim tamen illuc referri  
possunt hoc sensu , quod derogationes  
istæ factæ esse non debeant in favorem  
aliquorum membrorum , vel certorum cor-  
porum (*moralium*) nisi cum respectu ad  
bonum commune seu generale ; ut vide-  
licet invitentur & excitentur ad servien-  
dum statui , aut ut per hoc remuneren-  
tur ob servitia statui exhibita . ” Idem  
est judicium de exemptionibus relatè ad  
tribunalia concernentia . Privilegia igitur &  
exemptiones non vulnera legum , sed potius

ad earum observantiam incitamenta, aut præmia ob singularia præstata servitia & obsequia nuncupari debent.

## §. II.

### *De promulgatione legis.*

**A**d legis essentiam pertinere jurisdictionem competentem legislatoris, veluti & legis justitiam, nemo est, qui ambigit; nem enim imperare potest, qui imperandi non pollet facultate legitimâ, neque imperare illis, ad quos suum se se non extendit imperium, vel etiam circa objecta, quæ sunt extra vel ultra terminos suæ jurisdictionis insuper ex genuinis, iisdemque manifestis juris naturæ principiis elucescit, quod nullus imperare queat illicita & injusta; proinde quod commissiones & omissions inusta nequeant sub ullâ lege comprehendendi; nusquam enim aut ratio, aut Deus ipse, a quo est omnis potestas, facultatem statuendi illicita & iniqua tribuit ulli hominum.

Promulgationem legis necessariam esse ad illius obligationem, pariter in aprico est nam sine promulgatione nequit ipsa devovere ad notitiam eorum, qui juxta eandem suas debent instituere actiones; & nemo actiones suas regulare potest secundum id, quod ignorat, neque cognoscere potest: unde Justinianus L. leges. 9. cod. lib. I. tit. 14. in-

inquit: "Leges sacratissimæ intelligi ab omnibus debent, ut universi præscripto earum manifestius intellecto, prohibita declinent, & faciant præcepta." — Et S. Thomas I. 2. q. 90. art. 4. ait: "Promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem."

Necessariam igitur esse publicationem legis nemo dubitat; sed controvertunt nonnulli, utrum etiam ipsa legis promulgatio pertineat ad legis essentiam? Quæstionem hanc porius theoreticam, quam practicam scrupulosius hoc loco excurere nolumus: sufficit, quod lex non obliget, nisi fuerit publicata. Interim author *de l'authorité des deux puissances Chap. II. de loix maxime première* ita resolvit: "Publicatio est necessaria ad validitatem legis, & in consequentiā juris naturæ indispensabilis."

Circa promulgationem legis Petrus de Marca *de concordia sacerdotii & imperii lib. II. cap. XV.* statuit sequentia: "Promulgatio legum ideo necessaria est, quoniam, qui legum sententiam ignorant, nullâ religione ad observationem teneri possunt: unde præcipua cura post leges conditas hæc fuit apud græcos & romanos, ut publicè proponerentur, & tabulis, columnis, vel axonibus affigerentur. Nolo antiquos moris repetere; cum satius sit iis immorari, quorum usu quotidiano, calent omnia ju-

" di-



"diciorum tribunalia. Extat apud Justinianum  
 "novella constitutio (Novell. 66. ut factæ no-  
 "væ constitutiones C. 3. §. 1. & 3.) quæ mo-  
 "dum publicandarum legum præscribit,  
 "& earum vim cohibet, donec redditæ  
 "fuerint in commune manifestæ. . . . Hæc  
 "autem promulgatio eo ordine procedit,  
 "ut constitutio à principe (ad præfectos in  
 "prætorio) dirigatur: qui edictis publicè  
 "propositis eam in civitate, ubi sedes præ-  
 "fectoriana instituta est, omnibus notam  
 "reddant, deinde eam mittant ad omnes  
 "præsides provinciarum, qui legem in me-  
 "tropolitana civitate, & in cœteris civita-  
 "tibus provinciæ publicari curabunt. Civi-  
 "tatis nomine non singulæ urbes & oppi-  
 "da alicujus provinciæ intelligebantur, sed  
 "illæ tantum, quæ in laterculo imperii de-  
 "scriptæ, civitatum nomine & dignitate  
 "erant insignitæ; quæ fere omnes, sub  
 "christianis imperatoribus, episcopatibus  
 "decoratæ sunt, "

Quoad promulgationem legum ecclesi-  
 sticarum idem ill. author cap. cit. ita loqui-  
 tur: "Sed in controversiam deducitur, an  
 "leges ecclesiasticae promulgari debeant per  
 "provincias, an vero sufficiat, eas in ro-  
 "manâ curia publicatas fuisse? Hinc stat-  
 "Joannes Andreæ & plerique ex Italia au-  
 "thores, qui solam in curia romana pro-  
 "mulgationem requirunt. Panormitanus ve-  
 "rò, & omnes fere galli, germani & his-  
 "pani,

“ pani, qui quæstionem istam adtigerunt,  
 “ imò & Cajeranus, unus è purpuratis pa-  
 “ tribus, necessariam esse per singulas pro-  
 “ vincias legis ecclesiasticae publicationem  
 “ contendunt validissimis rationibus. ”

Sed faxint superi, ut universi fideles  
 ad suscipiendas leges pontificias tam procli-  
 vés essent, quām paratus est summus pon-  
 tifex ad easdem ubique promulgandas !

Inter promulgationem legis, & ejus exec-  
 290 utionem ad temperatum intervallum tempo-  
 ris esse necessarium, tale nimurum, quo ad  
 omnium concernentium notitiam lex deve-  
 nire potest, sana ipsa docet ratio: unde  
 etiam legislatores tempus determinare so-  
 lent, quoniam ab emanatione & promulgatio-  
 ne legis incipit ejusdem obligatio & exe-  
 cutio. Sic v. g. Tridentinum ff. 24. cap. I. in  
 decreto de reformatione quoad executionem  
 hujus decreti ita statuit: “ Decernit insu-  
 “ per (sancta Synodus) ut hujusmodi decre-  
 “ tum in unaquaque parochia suum robur  
 “ post triginta dies habere incipiat à die  
 “ primæ publicationis in eādem parochia  
 “ factæ numerandos. ” — Præterea pro di-  
 versitate legum, locorum ac ditionum va-  
 ria pro executione legum intervalla jure po-  
 sitivo constituuntur.

## §. III.

*De acceptatione legis.*

**Q**uaeſtioniſ ſtatus ventilatur utique de lege iuſta, de lege utili aut neceſſaria, de lege procedente ab eo, qui legiſtatiua gaudeat potefteſtare, de lege denique ſuis requiſitiſ abſoluta numeriſ. Utrum lex talis ſeu quo ad ſuum valorem, ſeu quoad ſuam virtutem dependeat ab acceptatione populi ſive ſubditorum, diſputant varii.

Hujus intuitu controverſia in memo-  
riam revocare juvat, quod in conſequentiā  
juris naturae imperantibus debitē präcipienti-  
bus debita ſit präſtanda obedientia, & quidem  
ex jure & obligatione utrimque perfectis.

Cūm igitur imperans plenam habeat  
authoritatem ac potefteſtatem justas ferendi le-  
ges, per quas bono communitatis debita  
ratione proſpicitur, conſequens eſt, quod  
ad legis valorem non requiratur conſensus  
populi; non enim populo, ſed imperantibus  
tributa eſt potefteſtas leges condendi in  
regiminiſ formiſ à merā democraſia diſtinc-  
tiſ; adeoque neque neceſſaria, neque utiliſ  
eſt voluntas populi ad legis eſſentiam ſive  
naturam conſtituendam. Itaque ſubdi-  
ti, ut  
pote qui legibus plenam tenentur exhibere  
obedientiam, opponere ſe nequeunt volun-  
tati imperantium justas leges statuentium,  
multo minus eas invalidas reddere poſſunt;

fecus enim eorum recalcitratio & inobedientia culpabilis non foret, id quod nemo dixerit. — Ex jure imperantium leges ferendi, atque ex obligatione subditorum legibus hisce parendi pariter consequitur, quod subditi legum istarum virtutem sive effectum elidere non audeant, proinde quod leges neque quoad hoc punctum ab acceptatione populi dependeant; perinde namque habet, aut legem non esse, aut legis impedire, vel annihilare effectum; quia utrobius legis finis, communitatis nempe felicitas, non adtingitur. Et sane non video, quomodo conciliari haec duo possint, nempe: quod in casu resistentiae subditi essent culpabiles, quia intimatae legitimi imperantis voluntati resisterent, & non essent culpabiles, quia haec ipsa eorum resistentia annullaret legem, legitimi sui imperantis voluntatem annuntiantem & manifestantem? quomodo enim per actionem malam simpliciter nulla reddi possit legislatoris voluntas justam statuens legem, maxime cum haec subditorum mala actio seu voluntas nullâ autoritate nitatur, ægerrimè concipitur.

Hanc circa materiam author de l'autorité des deux puissances Tom. prem. chap. II. de loix, maxime II. in modum concludit sequentem: " Juxta confessionem omnium politicorum, pœnæ per edicta latæ suam habent executionem contra refractarios statim post promulgationem. Haec igitur

“ edicta suam habent validitatem indepen-  
 “ denter ab acceptatione subditorum. Inu-  
 “ tiliter etiam hic allegaretur regula Gra-  
 “ tiano inserta: leges instituuntur, cùm pro-  
 “ mulgantur: firmantur cum moribus utentium  
 “ adprobantur. Hæc regula intelligi nequit,  
 “ nisi de stabilitate, quam accipit lex per  
 “ observantiam; convenitur enim, quod ge-  
 “ neralis & constans non usus abroget le-  
 “ gem, quando imperans tacet. Non lo-  
 “ quimur hic, nisi de legibus humanis i-  
 “ quia leges aliæ non sunt in potestate hu-  
 “ manâ. Lex accipit ex moribus firmitatem  
 “ stabilitatis, non firmitatem auctoritatis.  
 “ Hæc est juris consultorum interpretatio.”

Addi potest, quod lex lata & promul-  
 gata, quæ tamen ad usum generalem & con-  
 stantem non deducitur, abrogetur non per  
 renitentiam & voluntatem subditorum, sed  
 per voluntatem imperantis, qui legem tulit,  
 eamque ulterius urgere & valere non vult  
 ob circumstantias, in quibus speratus legis  
 effectus frustratur. Profectò, per quas causas  
 res nascitur, per has & dissolvitur: atverò lex  
 per voluntatem populi non est nata, adeo-  
 que nec per eam, sed per voluntatem im-  
 perantis dissolvi potest. Cùm ergo subjec-  
 tus populus non habeat potestatem legem  
 condendi, consequens est, quod nec potes-  
 tate gaudeat legem dissolvendi. Rationes  
 porro hucusque allatae militant tam pro ec-  
 clesiasticis, quam civilibus legibus; pertinent  
 enim

enim ad generalem legis indolem five naturam,

Illustrissimus Petrus de Marca Lib. II. de concordia sacerd. & imp. Cap. XVI. niti- tur quidem quoad utramque partem probare oppositum ; verum Cl. Bæbmerus in suis observationibus Cap. XVI. obser. XI. subnexis aptè respondet in modum sequentem :

“ Sententia est illustrissimi auctoris (*Petri de Marca*) leges robur non habere , donec à populo acceptatæ fuerint , quam hypothesin postea etiam ad leges ecclesiasticas applicat. — Graviter tamen eam ipsam (*Petri de Marca sententiam*) impugnavit auctor in tract. de libertatib. ecclesiæ gallicanæ anno 1689. Leodii edito , qui libro 2. cap. 6. seqq. non tantum contrarium adstruit , sed etiam ad singula auctoris argumenta responderet. — Ut in hac lite legitimè versemur , necessarium erit , de legibus civilibus primum quæstionem hanc movere. ”

“ Quæstio , prout ab auctore nostro formatur , huc redit. An ad legis vigorem consensus populi requiratur , ut cives iis non aliter teneantur , quam si commodas & utiles suis rebus judicaverint ? — Quæstio sine dubio neganda , si ita accipi debeat , ut à consensu subditorum legis vigor dependeat. Ita enim imperans sum-

“ mus

" mus leges non daret, sed ad instar sena-  
 " tūs in republica democratica romana prin-  
 " ceps censeret, populus verò juberet: cum  
 " tamen in statu monarchico populus vo-  
 " luntatem suam in principem transtulerit,  
 " & ita, quæ ad dirigenda negotia spectant,  
 " non suum interponere possit arbitrium,  
 " sed sequi voluntatem ejus, cui se per  
 " subjectionem obligavit ad meram obedien-  
 " tiā. Leges feruntur invitis & injustis,  
 " imò ejusmodi hominibus, qui variis du-  
 " cuntur voluntatum concupiscentiis, qui-  
 " bus res publicæ semper abundant. Niti-  
 " mur semper in veritum. Si itaque consen-  
 " sus subditorum esset exspectandus, leges  
 " revera omni destituerentur efficaciā, cum  
 " rarissimè subditi ad illas accipiendas duci  
 " possent. Quin, cum imperantis sit, in  
 " publicum consulere, ipse quoque aestima-  
 " bit, quid re publicæ utile vel consultum  
 " esse possit, non populus. Optimè Plato  
 " in politico S. de regno p. m. 552. vim legum  
 " exprimit hoc dialogo: H. Legem cerni-  
 " mus ad hoc ipsum niti, quasi hominem  
 " quendam pertinacem & imperitum, qui  
 " nihil, quam quod ipse constituisset, fieri  
 " permittat; sed nec rogari etiam, si quid  
 " novi præter illius ordinem potius meliusque ali-  
 " cui videatur. S. Vera loqueris; ita enim,  
 " ut dicebas, lex homines cogit. — Aequè  
 " pulchrè Seneca epist. 49. sententiam nostram  
 " confirmat his verbis: Legem brevem esse  
 " oportet, quo facilius ab imperitis teneatur,  
 " velut

“ *velut emissâ divinitus vox sit, jubeat, non dis-*  
 “ *putet.* Nihil mihi videtur frigidius, nihil  
 “ *ineptius, quâm lex cum prologo: mone, dic,*  
 “ *quid me velis fecisse. Non disco, sed pareo.*  
 “ — Longè consultius est, leges non ferre,  
 “ & cives moribus suis ut vivant permitte-  
 “ re, quâm leges latas arbitrio subditorum  
 “ committere, quoipsò non possunt non  
 “ inanes evadere. ”

## §. IV.

### *De divisione legum.*

**T**res potissimum species legum in socie-  
 tate reperiuntur humanâ, per quas ipsa ad  
 suos ordinatè fines dirigitur: videlicet lex  
 naturalis, lex divina, & lex humana.

Legis naturæ perspicuam definitionem  
 tradidimus in jure nat. priv. Cap. I. §. II. Lex  
 ista profluit ab ipso summè provido auctore  
 naturæ Deo, à quo & omnium hominum  
 insita est animis, sive in omnium mortalium  
 cordibus scripta. Promulgatur lex ista ab  
 ipsa naturali ratione, aliisque adminiculis,  
 quæ in jure naturæ privato fusius adsigna-  
 vimus. Hæc igitur lex legum quarumcun-  
 que aliarum basis est, ac fundamentum, &  
 obligat universam societatem humanam,  
 utpote quæ tota legis hujus particeps est,  
 eo quod ipsa connata sit universis, ita etiam  
 ut ejusdem dictatus potissimos cognoscere

valeant, si præjudiciis ac passionibus non laxent habenas, atque in principia indicativa seu promulgativa competentem impen-  
dant operam.

*Lex divina* est positivum Dei verbum per revelationem communicatum hominibus tanquam regula fidei & morum. Contine-  
tur autem revelatio aut *in sacris scripturis*, aut *in traditione divina*; traditio enim divi-  
na est verbum Dei non scriptum in libris canoniceis seu sacris paginis, sed doctrina ex  
ore Christi docentis immediatè apostolos pro-  
cedens, vel à spiritu sancto iisdem dictata,  
& ab eis viva voce ecclesiæ tradita, & con-  
tinua successione sine filii hujus abscissione  
in posteros usque ad nos derivata, & a ve-  
ra ecclesia tanquam doctrina fidei & morum  
habita semper. — Differt à traditione di-  
vinâ *traditio apostolica*, quod hæc ab aposto-  
lis ex intinētu spiritù sancti primò vivâ vo-  
ce sit profecta, & ab ipsis usque ad nos  
per maiores intermedios transmissa, quam-  
vis in sacris libris & epistolis non sit ex-  
pressa.

Opportunum erit & instructivum aliqui  
ad doctrinam scriptam & traditam pertinen-  
tia adducere ex Tridentino Ss. 4. uti sequi-  
tur: “ Sacrosancta œcumenica & generalis  
“ tridentina synodus in spiritu sancto legi-  
“ time congregata, præsidentibus in ea tri-  
“ bus apostolicæ sedis legatis, hoc sibi per-  
“ petuo

petuo ante oculos proponens ; ut sublatis  
 erroribus puritas ipsa evangelii in eccle-  
 sia conservetur ; quod promissum ante per  
 Prophetas in scripturis sanctis , Dominus  
 noster Iesus Christus Dei filius proprio  
 ore primum promulgavit , deinde per  
 suos apostolos tanquam fontem omnis &  
 salutaris veritatis , & morum disciplinæ  
 omni creaturæ prædicari jussit : perspi-  
 ciensque , hanc veritatem & disciplinam  
 contineri in libris scriptis , & sine scripto  
 traditionibus , quæ ex ipsius Christi ore  
 ab apostolis acceptæ , aut ab ipsis aposto-  
 lis , spiritu sancto dictante , quasi per ma-  
 nus traditæ , ad nos usque pervenerunt ,  
 orthodoxorum patrum exempla secuta ,  
 omnes libros tam veteris , quam novi testa-  
 menti , cum utriusque unus Deus sit auc-  
 tor , nec non traditiones ipsas , tum ad  
 fidem , tum ad mores pertinentes , tan-  
 quam vel oretenus à Christo , vel à spiri-  
 tu sancto dictatas , & continua successione  
 in ecclesia catholica conservatas , pari pie-  
 tatis affectu ac reverentia suscipit ac ve-  
 neratur . "

Lex igitur divina pro omnibus lata ho-  
 minibus , eosdemque dirigens ad finem uni-  
 versis præstitutum , nempe ad felicitatem  
 æternam , universalis quoque est , & obligans  
 omnes . — Omnes homines ab eodem pro-  
 toparente Adamo descendisse , ostendimus  
 in jure Nat. priv. Cap. II. §. III. Neque etiam  
 du-

dubitamus, divinam legem latam pro omnibus, etiam provido Dei consilio devenisse in omnium notitiam. Sit, quod nonnulli detecti sint populi, qui debitam revelari verbi cognitionem actualiem non habebant: verum, nonne patres eorum eâ semel imbuti, ipsam negligere, excutere aut spernere potuerunt tractu temporis? Docet experientia, quod ipsum Evangelium multis regionibus prædicatum & disseminatum, plagis istis ob causam allegatam, fixam non amplius habeat sedem. Porro de partibus nostri globi terraquei tantopere inaccessis, ut nulla unquam cum hominibus eas incolentibus potuerit haberi communicatio, probationes desiderantur.

Qua etiam ratione sic dicti lunicolæ aut aliorum planetarum prætensi inhabitatores conciliari possint cum verbo divino, ac cum Christo Domino angelorum & omnium hominum capite, ægerrimè intelligitur. Sane, si spestemus inter alia illud, quod consignatum est Matth. XXV. 31. 32. 34 & 35.

“ Cùm autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis: & statuet oves quidem à dextris, hædos autem à sinistris; tunc dicet rex his, qui à dextris ejus erunt: venite benedicti patris mei”

" mei possidete paratum vobis regnum à  
 " constitutione mundi &c. „ Item illud,  
 quod legitur *Philipp.* II. 11. " In nomine  
 " Jesu omne genu flectatur cœlestium , ter-  
 " restrium , & infernorum ; & omnis lingua  
 " confiteatur , quia Dominus Jesus Christus  
 " est in gloria Dei patris. „ Non obscu-  
 re intelligitur , quòd omnes in via salutis  
 existentes homines agnoscere debuerint Chri-  
 stum ; quod non aliter , quám per ipsum  
 ad hunc portum salutis pertingere quis va-  
 leat ; insuper & , quod in universali hoc  
 judicii die comparitūri sint omnes , qui un-  
 quam exitere viatores ad regnum , in quo  
 Christus sederet ad dextram patris , qui & in  
 ultimo judicio ipsos usque adeo angelos ju-  
 dicabit. Cùm verò Christus neque in luna ,  
 neque in Saturno , neque in aliis à terra  
 distinctis planetis in formâ Dei - hominis ex-  
 riterit , videat quis , quomodo istius generis  
 incolæ viatores homines partem in Christo  
 habeant . — Mea profectò firmissima est  
 sententia , quòd omnis quiscunque demum  
 fuerit , qui ullatenus non cognoscit & ag-  
 noscit filium Dei incarnatum , salvus esse  
 non possit . — De imaginariis istis incolis  
 conferatur etiam *Genesis.*

Denique *Lex* alia est humana , descen-  
 dens ex jurisdictione ac supremâ potestate ,  
 quæ data est principaliter à Deo hominibus  
 summa dignitate resurgentibus in ordine ad

populum sibi commissum debitè regendū, atque ad præfixum finem deducendum.

Quemadmodum *jurisdictio* isthæc est duplex, *sacra* nimirum, atque *civilis*; ita & duplex est humana lex, scilicet *ecclesiastica*, & *civilis*. Tradidit Deus Ecclesiæ suæ spiritualem potestatem etiam legislativam in membra Ecclesiæ, tendentem vel maximè in salutem eorum ac felicitatem æternam: tradidit & imperantibus civilibus summam potestatem civilem, reipublicæ salutem temporalem principaliter respicientem. — Sunt igitur duo summa corpora, sive duæ societates, *sacra* nempe & *civilis*, quarum quælibet jurisdictione gaudet penitus distinctâ, ita nimirum, ut neque *jurisdictio* *sacra* dependat à *civili*, neque *civilis* à *jurisdictione* *sacra* quoad indolem utriusque potestatis: utraque proinde imperium habet separatum, simul atque separatos fines: quod tamen non obstante verum est, quod utriusque potestatis, felicitatis nempe æternæ ac temporalis promotio, osculari se mutuò debeant sicut pax & justitia; adeoque, quod neutra potestas alteri ponere debet obstaculum; sed quod potius una debet suffulcire alteram, ne funesta utriusque potestatis subditis oriatur collisio in detrimentum tam æternæ, quam temporalis salutis.

*Lex tam sacra, quam civilis est aut universalis sive communis, aut privata seu particularis: unde & jus aliud est commune, aliud particulare.* Primum conditur à potestate humanâ absolutè supremâ pro reliquis communitatibus universis ipsi subordinatis; atverò secundum adficit communites particulares particulari imperanti subjectas.

### §. V.

*De respectivo legum ordine, &c de lege pœnali.*

**P**artitio legis in tres classes principales, videlicet in naturalem, divinam & humnam, certam legum istarum dignitatem & ordinem involvit; ex quo ordine proinde evolvendum est, quid in legum harum collisione sit statuendum.

Legem naturalem potiorem esse legibus positivis conficitur ex eo, quod leges positivæ sint inædificatæ legi naturali tanquam earum basi ac fundamento. Porro inter leges positivas divinam prævalere humana manifestum est ex eo, quod voluntas humana subjecta esse debeat voluntati Dei: unde S. Aug. de verbo Domini. Serm. 6. c. 8. inquit: "Sicut non debemus obedire prætori contra voluntatem principis; ita à posteriori non oportet obedire principi contra voluntatem Dei." — Profecto cum

legislatores humani potestatem suam accep-  
perint à Deo, nemini in mentem venire po-  
test, quod Deus potestatem dederit homi-  
nibus contra suam potestatem divinam, seu  
potestatis divinæ eversivam, aut elisivam.

Potestatem ecclesiasticam cum potestate  
civilis comparantes, respicere potissimum de-  
bent ad principalem utriusque potestatis fi-  
nem, quem intuitu legum ecclesiastiarum  
in æternâ, & ratione legum civilium in  
temporali felicitate consistere supra indigi-  
tavimus. Felicitatem æternam præferendam  
esse temporali sanus nemo ambigit: quod si  
igitur ambae collidantur, priori potius in-  
sistendum est, quam posteriori. — Suppo-  
nitur autem passim, quod plenissimi prin-  
cipes, ceu fideles filii sanctæ matris ecclæ-  
siæ, in cuius sinu quiescunt, per leges suas  
civiles piam hanc matrem potius suffulcire,  
quam ullo demum modo eam arrodere,  
aut lacessere, omni demum studio conentur,  
sicur & ecclesia nunquam justas principum  
leges persequitur.

Cum etiam principes sint advocati Ec-  
clesiæ, causas illius in necessario eventu sus-  
cipere debent, sanctasque defendere leges,  
quin ipsis fas sit viâ legislativâ in sanctua-  
rium irrumpere; nemo enim leges scribe-  
re potest Ecclesiæ, nisi spirituali seu sacrâ  
sit munitus jurisdictione; Atvero principem  
sæcularem jurisdictionis sacræ esse expertem  
& incapacem, conventum est apud omnes.

Hic igitur legum ordo servandus, i.  
 Quod nulla penitus lex possit opponi legi  
 naturali absolutae, quin eo ipso à dignitate  
 & natura legis excidat ob rationes in jure  
 privato naturali fusiis adsignatas. — 2. Quod  
 lex nulla humana sive sacra sive profana  
 possit opponi legi divinae, ob causam supra  
 allegatam. — 3. Quod justae legi ecclesia-  
 sticae vulnus infligere, eam tollere, suspen-  
 dere, aut impedire nequeat lex civilis, ne-  
 que lex sacra possit justas leges civiles im-  
 petere, aut eis ponere obstaculum. — 4.  
 Denique quod lex particularis non possit de-  
 rogare legi universalis; neque quod inferior  
 dispensare valeat in lege superioris.

Contra obligationem & executionem  
 legis naturalis & divinae nullum obtinent  
 locum privilegium, exemptio, & contraria  
 consuetudo: nam utriusque legis hujus au-  
 tor quoad primam simile quid indulgere  
 non potuit, & quoad secundam illud non  
 voluit. — Humanarum intuitu legum res  
 se se habet aliter; adeoque exceptiones me-  
 moratae in his locum habere possunt oppor-  
 tunum, ac circumstantiis consentaneum.

Quæri hoc loco potest, quid ergo sen-  
 tiendum de legibus *pænaliibus*? — Solent  
 authores quoad hoc dividere legem in *pæ-  
 nalem mixtam*, & in *merē pænalem*. Prima  
 duo continet, nempe legislatoris imperium  
 non transgrediendi, insuper & comminatio-  
 nem



nem pœnæ. Secunda nil nisi pœnam comprehendere dicitur, ita, ut legislator tali legi noluerit obligare subditos in conscientia, sed prævaricatoribus duntaxat injungere & infligere pœnas. Dubitatur itaque & controvertitur, utrum præter leges pœnales mixtas ab omnibus admissas & passim vigentes, etiam admittendæ sint leges puræ seu merè pœnales?


Quæstio igitur, an leges merè pœnales inferendæ sint catalogo legum propriè sumtarum, resolvenda videtur negative: nam neque cum traditâ superius notione legis, neque cum legis effectu immediato, obligatione videlicet, neque cum fine legis concordant leges istius commatis.

Imprimis cum legis notione non conveniunt; enimverò id, quod est stabilis agendorum & omittendorum ratio, seu regulæ per legitimam auctoritatem publicam populo præcripta, quod proinde constituit regulam morum, illud non est purè pœnale, sed internum etiam adficit forum conscientiæ. Igitur sic dicta lex merè pœnal non participat naturam sui divisi, adeoque è naturâ propriæ legis excidit.

Deinde lex merè pœnal non cohaeret cum immediato & inseparabili propriæ legis effectu, qui consistit in obligatione. Correlativa sunt jus perfectum imperandi, & obligatio

gatio perfecta obediendi: Dum igitur imperans justam fert legem, indispensabiliter inde resultat obligatio ex parte subditorum justæ legi parendi; & quidem non solum propter iram, aut propter pœnam adnexam, verum etiam propter conscientiam.

Denique leges merè pœnales non conciliantur cum *fine* legum: etenim finis legum est, bonum commune promovere ac consolidare, quare & imperantibus potestas legislativa est tributa; quam proinde ex hoc fine & capite exercere tenentur. Sed quis ignorat, subditos persuasum habentes, varias leges imperantium non obligare in conscientiâ, sed in solâ crumenâ, millenas astutias & artes inquirere ad principes & magistratus decipiendum, & sic saepe saepius cadere in foveam in duplo, triplo &c. non sine familiarum ruina id amittendi, quod subtrahere moliebantur? Quis insuper non sentit per existimatas leges merè pœnales non præparari & induci subditorum animos etiam ad alias leges transgrediendas, quæ sub merè pœnalium specie aut delineantur, aut adparent? Consequitur ex his aliisque rationibus, sic dictas leges merè pœnales bono communi & privato magis officere, quam proficere, proinde illas ē legum pæstra esse eliminandas: nocent quippe tam imperantibus, quam subditis.



Unde etiam Puffendorffius, et si in *jur. Nat.* & *Gent. Lib. VIII. C. III. §. IV.* leges merè pœnales propugnaverit, in fine tamen addit sequentia: “Addimus autem & hoc, non debere esse leges purè pœnales, seu quæ nihil aliud intendant, quam ex multâ lucrum facere.”

Et Cl. Rieger, et si in dissertatione edita anno 1744. differat in modum sequentem: “Quidam omnem legem præcipientem, aut verantem obligare conscientias contendunt; quia in omni lege est potestas cum voluntate obligandi, & in violatione inobedientia, quæ peccatum est. Itaque nequidem in potestate legislatoris esse putant, non obligare, si legem ferre velit. Alii verò fieri possunt, cum quibus & ego sentio, judicant, ut legislator verè præcipiat, non modo ordinet, aut dirigat, quin tamen peccet legis transgressor; quia potest eum nolle obligare ad culpam, sed tantum ad pœnam, ut tamen vera lex sit. Potest enim lex absolute poni hac intentione, ut ad solam pœnam obliget; qui præcipiendi modus, utpote finem habens rectum, non est contra rationem legis, nec contraria rationem justitiae. Nam pœna sine culpa, non tamen sine causa incurri potest.... Lex pœnalis obligat judicem, ut secundum eam, pœnam decernat.... Post latam sententiam reo incumbit obligatio, ut patienter sine obluctatione pœnam subeat.”

Attamen idem Rieger aliter iterum statuit in institutionibus jurisprud. eccles. P. II. §. XLII. ubi inquit: "Quam (legem) schola merè pœnalem vocat, figmentum est subruendis legibus aptum. Mixtarum autem, quas illi appellant, non satis ex arte diversam faciunt speciem. Nullam enim esse legem prohibentem, satis certum est, quæ non & prohibeat actum, & plectat temerarios violatores."

## S. VI.

### *De Dispensatione Legis.*

*Notio dispensationis* figuratur in eo, quod sit provida juris relaxatio facta per legitimam potestatem. Solet etiam dispensatio nuncupari *venia legis*. — *Dispensationis effectus* in eo consilit, ut lege, vel canone vim suam obtinentibus, illi, quibus impeditur dispensatio, auctoritate competentis superioris, à vinculo & obligatione legis solvantur.

Convenit igitur, ut dispensatio sit *provida*; nixa videlicet principio rationis sufficientis. Uti per leges, ita etiam per dispensationes verum intendi debet bonum. Itaque dispensationes impertiri, per quas bonum usque adeo commune pateretur, valde inconcinnum foret, & recto legum spiritui oppositum. — Ratio sufficiens, motivum honestum & aptum, atque exigentiae cir-

cumstantiarum undequaque adtemperatum, ducere debent legislatores in ordine ad tribuendas dispensationes cujuscunque generis, & relatè ad personas qualescunque demum.

Dispensare porro nullus in lege potest, qui talem legem ferendi potestatem non habet; sicut enim legem condere, ita & in eâ dispensare est actus jurisdictionis, qui nunquam suos extra limites excurrere potest, aut applicari. Potest tamen legislator suam potestatem alteri delegare, vi cuius hic cum certis personis, aut ad certum tempus dispensare potest non tam propriâ, quam delegatâ authoritate. Ex quo fit quod potestas isthac delegata nec præfinitum tempus, nec designatum objectum ac personas excedere possit.

Cùm porro inferior non possit dispensare in lege superioris, manifestè liquet, quod is, qui *jus commune* condere non potest, etiam auctoritate propriâ *in jure communi* nequeat dispensare, si nempe sistatur *in regula*. — Attamen *in Hypothesi* consensûs expressi aut taciti supremi legislatoris, aut in vim consuetudinis legitimè vigentis contingere id potest hinc inde, & in aliis quibus causis.

Causa igitur dispensationis sufficiens esse debet justa; ex quo consequitur, quod dispensationem impertinentes dispensandi cau-


fas maturo & impartiali debeant submittere examini, antequam ad dispensationum elargitionem procedant. In dispensationibus porro non propria dispensantis, sed communis & dispensatorum utilitas quærenda est atque secunda, ne alias loco utilis dispensationis funesta emergat dissipatio.

Quemadmodum dispensantes habere debent rationes in hunc effectum sufficientes, ita proinde illi, qui dispensationem implorant, rationem sufficientem, ob quam dispensationem petunt, in medium adducere debent: unde, si loco competentis ac requisitæ rationis fraudulenter motiva allegent falsa, inepta, supposititia, obreptitia &c. impingunt & contra conscientiam, & dispensatio falso motivo nixa iis proficere nequit: supponitur quippe in concessione dispensationum: *si preces veritate mitantur.* Aliæ igitur dispensationes sunt veræ, aliæ existimatæ, seu perperam impletatae.

## §. VII.

### *De Interpretatione Legis.*

**L**eges quandoque minus sunt claræ, ita etiam, ut hinc inde genuinus earum sensus vix adtingi possit atque intelligi: illustrativis, ac declarativis igitur opus est sæpe administrulis, ut lex intelligi possit & debitè adimpleri.



pleri. In finem hunc maximè deservit *apta legum interpretatio.*

De hac *L. B. de Ickstatt Tom. I. opusc. I. C. I. § 4. II.* ita loquitur: " Ideo leges ad facta sive casus obvenientes applicari queunt , quod eadem in facto occurrant determinationes , quae legem ingrediuntur . Quapropter ut leges applicari possint , determinationes legum evolvendæ , sive , quod idem est , leges *interpretandæ* sunt : ut adeo interpretari leges nil aliud sit , quam determinationes legum distincte evolvere . Interpretatio verò legum erit distincta evolutio determinationum leges ingreditantium , & circumstantiarum sub quibus obligant . Cum determinationes & circumstantiae , sub quibus lex obligat , mentem legis absolvant ; patet , eum rectè interpretari leges , qui mentem genuinam legum assequitur . "

Alii sequentem *interpretationis notionem* suppeditant ; nempe , quod sit congrua per aliud clarius explicatio verborum legis , ordinata ad concipiendum verum legis sensum à legislatore intentum .

Dividitur passim interpretatio in *authenticam* , in *usualem* , & in *doctrinalem* : quam divisionem insinuat glossa in Leg. 37. D. de Legibus . — Interpretationem illam dicunt *authenticam* , seu *legalem* , quæ vel ab ipso legis-

legislatore, vel ab ejus successore fit per legem aliam prioris declarativam, quæ proinde eandem, ac ipsa lex declarata, auctoritatem obtinet. Huc referuntur juris effata sequentia : *Eius est legem interpretari, cuius est eam condere.* Item : *Unde Ius prodit, interpretatio quoque procedat.* — Spectari etiam hoc loco potest illud ; quod, cum quilibet sit interpres verborum suorum, etiam legislator sit interpres suarum legum.

*Interpretatio usualis* nomen participavit & rationem ab eo usu, quem leges latæ & promulgatae sortitæ sunt ; pura ab usu tacita legislatoris voluntate probato : consuetudo namque seu usus introductus, à legislatore saltem in decursu suam efficaciam obtainere debet & auctoritatem. Sano igitur hoc sensu dici potest, *quod consuetudo sit optima legum interpres.*

*Interpretatio doctrinalis*, quam & materialem vocant, illa est, quæ a probatis legum explanatoribus, doctoribus nempe ac professoribus suppeditatur. — Quod hæc interpretatio non superet auctoritatem hujusmodi explanatorum per se manifestum est ; ubi & patet, quod ista interpretatio maiorem minoremve certitudinem faciat, prout doctorum consensus est numerosior, & interpretandi ratio uberior. — *Doctrinalis* hæc interpretatio dividitur in *declaratoriam* & *extensivam*. *Declaratoria* est con-

grua expositio obscuritatum in lege existentium; extensiva autem est ea, per quam fit ampliatio legis ad ea, quae in lege clare non exprimuntur: hæc tamen interpretatio locum habere nequit, ubi lex objectum, ad quod extenditur, ne tacite quidem comprehendit.

Circa divisionem interpretationis *Cl. Heineccius Lib. I. jur. nat. & gent. §. CIV.*  
breviter ita statuit: "Præterea prout legem interpretatur: vel ipse legislator, vel judex, aliasque, cuius ad officium pertinet legem facto applicare, vel jurisperitus eatenus illa interpretatio vel authentica, vel usualis, vel doctrinalis appellatur; ubi prima fundamentum est voluntas legislatoris, alterius usus forensis, postremæ applicationis regularum interpretationis.

Divisionem hucusque adlatam non admittit *Cl. Banniza in subsidiis interpretationis doctrinalis pac. rel. & westp.* ubi inquit: "Interpretatio vera legum, aut pacificationum unica tantum est, nempe doctrinalis, eadem semper est declarativa, saltem hoc sensu, quod ipsam dubiam imperantium, aut pacifcentium voluntatem declarat. Vulgo sic dictæ interpretationes, usualis atque authentica, male pro interpretationibus veris & propriè dictis venditanæ tur. ,

Et sanè, si in rigore loqui velimus, res ita se habet; interpretatio enim *authentica* non tam legis explicationem, quam ipsam legem novam complectitur, eoque proficiscatur à voluntate imperantis non tam explicantis, quām jubentis. Et interpretatio *usualis* usu forensi, ipsiusque imperantis consensu tacito firmata haber naturam legitimae consuetudinis, adeoque potius ad ipsas leges, quām ad legum interpretationem referenda venit. Denique distinctio inter interpretationem *declarativam* & *extensivam* minoris quoque momenti videtur nequit enim lex rite extendi ad illud, quod in se non comprehendit saltem tacitè: atvero, si fiat interpretatio ejus, quod in lege continetur, interpretatio propriè erit *declaratoria*.

Interpretationis *doctrinalis* sequentes potissimum ex jure postulatæ statuuntur regulæ: 1. Verba legis clara interpretationem non admittunt. 2. Verba legis secundum significationem propriam sunt intelligenda & accipienda, nisi manifestè constet, aliam fuisse legislatoris intentionem. 3. Unde, si de mente legislatoris aliunde constet, interpretatio potius juxta legislatoris intentionem, quam secundum nuda verba facienda erit; quia non debet intentio verbis deferre, sed verba intentioni. Item, quia intelligentia dictorum ex causis dicendi adsu- menda; eoquod non sermoni res, sed rei sit sermo subjectus. 4. Lex generaliter &

in-

indistinctè est intelligenda ; ubi enim lex  
 non distinguit , ibi neque nos distinguere  
 debemus. Si verò in ipsa lege distinctio  
 aut exceptio contineatur , huic quoque in  
 sistendum erit : sanè , exceptio firmat regu  
 lam in contrarium. 5. Ubi eadem est ratio  
 eadem censetur esse juris dispositio. 6. In  
 omnibus causis habenda est ratio aequitatis.  
 7. Non censetur plus in priore lege muta  
 rum , quam est expressum in posteriore. 8.  
 Quantum fieri potest , explicetur ac tenetur  
 concordia legum. 9. Odiosa sunt strictæ  
 interpretationis , neque extendenda ad cas  
 sus aut personas non expressas. 10. Leges  
 favorabiles regulariter benigna & ampliore  
 interpretatione sunt donandæ. 11. Quando  
 que *epikia* locum habere potest , cuius notio  
 passim figitur in eo , quod sit *benigna legum*  
*interpretatio secundum æquum & bonum* , decla  
 rans *casum aliquem particularem ex mente legislato*  
*ris ob suas circumstantias planè singulares*  
*sub lege universaliter lata non esse comprehensum*.  
 Denique 12. pensanda est in interpretatio  
 ne legum observatio , quam exhibet Hei  
 neccius Lib. 1. j. n. & g. § CII. sequenti  
 bus verbis : “ Quandoquidem verò inter  
 “ pres mentem legislatoris ex ejus verbis ,  
 “ aliisque signis distinctè repræsentat ; con  
 “ sequens est , ut & ad propriam , & trans  
 “ latam verborum significationem , & ad  
 “ eorundem nexum cum iis , quæ antece  
 “ dunt , vel consequuntur , & ad ipsius rei  
 “ naturam atque indolem & denique vel  
 “ maxi-

" maximè ad legislatoris finem & rationem,  
 " quæ illum ad ferendam legem impulit,  
 " adtendendum sit, adeoque illi & sapient  
 " omnino, & mecum faciant, & jove ju-  
 " dicent æquo, qui rationem legis ejusdem  
 " animam esse profitentur . . . Exemplum  
 " insigne, quo incredibilis hujus regulæ  
 " utilitas ostendi potest, ipse servator noster  
 " dedit, dum reprehensus à judæorum ma-  
 " gistris, quòd die Sabbathi opera charita-  
 " tis necessitatisque non intermittenda pu-  
 " tarer, verum ostendit fontem interpre-  
 " tandi legem de Sabbatho, & hinc dixit :  
 " Sabbathum hominis causâ factum ; non homo  
 " Sabbathi causâ. Marc. II. 27. "

## §. VIII.

### *De Cessatione Legis.*

Lex cessare potest per duo capita princi-  
 palia ; nempe per cessationem finis & rationis  
 adæquatæ, ob quam ipsa est lata ; deinde per  
 voluntatem legislatoris : ad hæc quippe duo  
 capita reliquæ causæ, quæ pro cessatione legis  
 adduci solent, reducuntur.

Cessat igitur lex per sublationem ratio-  
 nis adæquatæ sive totalis, ob quam legislator  
 eam tulit ; cùm enim legis ratio sit ejusdem  
 anima, cùmque lex nulla sine ratione condi-  
 possit, consequitur, quòd & lex exspirante  
 ejus plenâ ratione & fine subsistere amplius



nequeat. — Cessare autem dicitur lex cef-  
fante ejus causâ *adæquata*; enimverò leges  
quandoque feruntur non ex uno solo mo-  
tivo, verùm ob rationes varias, eásque di-  
stinctas: unde si una vel altera particularis  
duntaxat ratio cesseret, maneantque salvæ ad-  
huc aliæ, non corruit lex, sed pergit obli-  
gare. Imperans etiam omnigenos ultra fines  
præmemoratos obligare velle non censetur.

Utrum verò cesseret legis ratio, æstiman-  
dum non venit ex solo iudicio populi; sed  
id vel maxime dependet à cognitione eo-  
rum, qui leges tulerunt; his namque vel  
maximè perspicuæ sunt rationes, ob quas  
ad ferendum leges fuere commoti. Et ali-  
unde irregulare est, à iudicio populi legum  
rationem & justitiam dimitiri; per quod  
legum etiam justissimarum eversio parati  
porest, non sine legislatorum, bonique com-  
munis summo præjudicio.

Cessat insuper lex per voluntatem le-  
gislatoris; sicut enim is ratione suffragante  
leges modificare & mutare, aut ipsis ex  
parte derogare potest; ita etiam legem con-  
cernentem tollere potest, sive abrogare. Lex  
per legislatoris potestatem & voluntatem  
nata est, ergo & per eam dissolvi potest.

Cùm verò legislator leges condendo  
sufficiente debeat motivo duci, nimirum  
communi reipublicæ bono; hinc etiam in  
legi-

legibus abrogandis sufficientem sectari tene-  
tur rationem. — Leges, quae per longam  
experientiam compertae sunt ad temperatae,  
perutiles, ac salutares bono communi, uti-  
que sine ratione sufficiente abrogarentur.

Adseritur etiam passim, quod consuetu-  
do legitima possit abrogare legem, quodque  
legitimè introducta vim legis obtineat. —  
Verum, si adsertio isthæc genuinum hunc  
sensum habeat, quod ipsa hæc consuetudo  
suis spectata in visceribus vim abrogandi, &  
introducendi legem non contineat in se se;  
sed quod potius vis illa abrogativa & in-  
troducinga legis immediatè refundenda sit in  
potestatem & voluntatem imperantis, qui  
consuetudinem ob rationes competentes ad-  
probat & adoptat saltem tacite; & nos ei-  
dem adassertioni subscribimus.

De cœtero author libri *de l'autorité des deux puissances Tome premier maxime VII.* dis-  
serit in modum sequentem de utilitate &  
necessitate legum in genere: “ Necessum  
“ est, ut homini frænum imponatur, in  
“ ordine ad ipsius felicitatem procurandam.  
“ Si homo sibi ipsi relietus est, brevi vix alias  
“ amplius leges agnosceret, quam propensiones  
“ suas & desideria, Passiones, & interesse  
“ proprium armabunt cives contra cives;  
“ cupiditas, vindicta, cupido dominandi,  
“ terræ faciem criminibus cooperient; for-  
“ tunæ, honor, tranquillitas, libertas, &

“ ipsa hominum vita exponentur ac relin-  
 “ quentur pervicaciæ sibi æqualium homi-  
 “ num, tradenturque imperio passionum,  
 “ Medium defensionis sive contra concives,  
 “ sive contra extraneos nullum aliud erit  
 “ superstes, quam vim vi repellere. Tacet  
 “ justitia, ubi & quamdiu cessat subordina-  
 “ tio, Dominabitur ille, qui virium habet  
 “ præpotentiam; bella intestina, confusio,  
 “ & barbaries virtutes, artes, atque scien-  
 “ tias sub ruderibus humanitatis sepeliunt,  
 “ & antiquum chaos in tota sua imagine  
 “ renovant atque reproducunt.

“ Mundus itaque moralis in suo ordi-  
 “ ne se se manuteneret nequit, nisi per auc-  
 “ toritatem, quæ leges vivere facit, quæ  
 “ tribunalium animat jurisdictionem, quæ  
 “ inspirat virtutes, quæ passionibus injicit  
 “ frænum, aut easdem bono publico sub-  
 “ jicit. Per hanc quilibet civis suo impe-  
 “ ranti subjectus, eum in societate locum  
 “ obtinet, qui ipsi proprius est ac consen-  
 “ taneus; ibi per justum æquilibrium liber-  
 “ tatis, & subjectionis rationabilis conser-  
 “ vantur omnes prærogativæ societatis  
 “ civilis. Tenebræ dissipantur; artes, sci-  
 “ entiae & commercia à felice ista harmo-  
 “ nia generantur; activitas & industria,  
 “ cœu fontes abundantiæ, ita adsecuratae de-  
 “ colligendis laborum suorum fructibus,  
 “ proprias suas divitias in nationem effun-  
 “ dunt, providentque sub imperio legitimè  
 “ or-

" ordinato cunctis de necessitatibus requisi-  
 " tis ; omnia societatis membra sibi invicem  
 " quasi porrigunt manus ; singuli utcunque  
 " etiam distantes se se invicem adjuvant ,  
 " sibique mutuo succurrunt, quin idipsum  
 " animadvertiscant , imbecilles , indigentes ,  
 " pupilli, infans ipse in incunabulis sentiunt  
 " efficaciam publicae potestatis in manibus  
 " imperantium existentis , & pro communi  
 " eorum bono armatae. Suprema potestas ,  
 " quæ per fulgorem suum circumdat thro-  
 " num , catenis ligat violentiam , & injur-  
 " iam , & sine interruptione pro univer-  
 " sorum vigilat bono ; & leges , quæ pro-  
 " tegunt ipsos , solis impiis , leges subter-  
 " fugere & infringere molientibus , terro-  
 " rem inculcent . "

*O. S. C. S. M. E.*



# I N D E X

## Rerum in Parte II. & III. contentarum.

*Numerus Romanus partem, Arabicus paginam designat.*

### A.

- Autor.* Ejus notio. III. 101. obligatio. III. 102.  
*Adfinitas.* Ejus notio. II. 26. Quid de ejus gradibus in vim juris naturae statuendum. II. 27. & seq.  
*Advocatus.* Ejus munus. III. 103.  
*Anarchicus* status quis sit. III. 5.  
*Aristocracia.* Ejus notio. III. 22. Commoda & incommoda III. 28.

### B.

- Bigamia.* Ejus notio. II. 21.

### C.

- Calculus Minervæ quando obtineat.* II. 12.  
*Civitas.* Ejus origo. III. 5. notio. III. 8. Membra ibid. Hæc in tres classes dividuntur. III. 9. Horum obligationes. III. 9. Civitatis finis & effectus. III. 11. Securitas in & externa. III. 67.

*Collegium v. Societas.*

*Concursus.* Quid sit. III. 85. Quomodo per eum conferenda officia. ibid.

*Consanguinitas.* Ejus notio. II. 26. Linea quotuplex. ibid. Quid de ejus gradibus in vim J. N. statuendum? II. 27. & seq.

*Consensus.* Qualis ad valorem matrimonii necessarius? II. 24.

*Contributions.* Quare a subditis præstandæ. III. 71.

### D.

- Democratia.* Ejus notio. III. 22. Commoda & incommoda. III. 26.

*Dispensatio.* Ejus notio. III. 137. Dispensare quis possit in lege III. 138.  
*Domus v. familia.*  
*Dyarchia.* Ejus notio. III. 29.

## E.

*Electio.* In nonnullis requiruntur duæ tertiae partes. II. 13.  
*Emigratio.* An subditis sit licita. III. 64. Ea differt a transmigratione. III. 66.  
*Epikia.* Ejus notio. III. 144.  
*Familia* Ejus societatis natura & finis. II. 53. Officia. II. 54.  
*Famuli.* Eorum officia. II. 50. & seq.

## G.

*Gravamen.* Quid sit. II. 50.

## H.

*Heri.* Horum officia. II. 49. & seq. Herilis societas notio & origo. II. 47. & seq.

## I.

*Imperans.* Ad ejus electionem duo requiruntur. III. 35. Potest constitui cum vel sine limitatione jurium maiestaticorum III. 36. Quid, si is in statum incideret, in quo usu rationis esset privatus. III. 45. Legitimi ejectio per injustum invasorem quid operatur? III. 46. & seq. Imperantium obligationes. III. 49. & seq.

*Imperium* aliud est plenum, aliud minus plenum. II. 14. despoticum, quid, & an societatis felicitatem promovet. *ibid.* Temperatum, eminens, sive alatum, *ibid.* Civile diversis modis obtinetur. III. 34. & 35. varia ratione amittitur. III. 40. & seq.

*Interpretatio legis.* Ejus notio. III. 140. Divisio. *ibid.* & seq. Interpretationis doctrinalis regulæ. III. 143. & seq.

*Interregnum.* Quid sit. III. 37. - *Interrex* quomodo constituitur, & quid ei competit? *ibid.*

*Judex* qualis esse, & quæ devitare debeat. III. 97. & seq. condemnare nequit in foro externo probatum reum, quem privata certaque scientia noscit innocentem. III. 95.

*Judicium.* Ejus notio & divisio III. 94. In eo <sup>tre</sup> prodeunt personæ. *ibid.* Judiciarius ordo dividitur in naturalem & civilem. III. 95.

*Jurisdictio* suprema civilis residet apud imperantem III. 91. Jurisdictione criminali uti debent imperantes in bonum Reip. III. 106.

## L.

*Lex.* Ejus notio. III. 112. Præscribitur a potestate publica. *ibid.* Differt a consilio. III. 113. Ejus promulgatio an ad essentiam legis pertineat. III. 117 & seq. An ab acceptatione populi dependeat. III. 120. & seq. Legis divisio III. 125. & seq. Legum ordo respectivus. III. 131. & seq. Lex poenalis quotuplex, & an admittenda. III. 133. & seq. Legis cessatio III. 145. & seq. utilitas & necessitas. III. 147.

*Liberi.* Horum officia erga parentes. II. 43.

## M.

*Majestas.* Ejus notio. III. 13. Istius læsæ crimen varie committitur. III. 56.

*Matrimonium.* Ejus notio. II. 15. Finis. *ibid.* Istius ineundi præceptum singulos adficiens non datur. II. 17. Ejus divisio II. 18. Consummatum quoad vinculum non solvit, nisi morte compartis. II. 19. Ad validitatem ejus tria potissimum jure naturæ requiruntur. II. 24. Ejus officia communia utriusque conjugi, peculiaria cuiusvis. II. 31. & seq.

*Monarchia.* Ejus notio. III. 22. Commoda & incommoda III. 30.

*Monogamia.* Ejus Notio II. 21.

# O.

*Officia Republicæ* alia sunt realia, alia honoraria. III.  
84. Quibus conferenda? III. 82. obtinentur variis  
modis. Ibid. Qui ad ea indigni, digni, aut digniores  
dicendi. III. 83. In dimissione ab iis quid attendendum?, III. 88.

# P.

*Parentes.* Eorum officia. II. 40. & seq.

*Pæna.* Ejus notio III. 106. & 107. Divisio. ibid. &  
seq. Quibus infligenda. III. 108. & seq.

*Polyandria.* Quid sit II. 21. Ea juri naturali absoluto  
contraria est. II. 22. — *Polygamiæ* notio & divi-  
sio. II. 21. — *Polygynia* quid sit. II. 21. Hæc op-  
ponitur juri naturæ hypothetico & positivo divi-  
no. II. 22. & seq.

*Politiae* notio. III. 68.

*Potestas* socialis quid sit. II. 9. Rectoria societatis  
aut independens aut dependens esse potest. II. 10.  
Ejus in societate inæquali tres potissimum vigere  
debent species. Ibid. — Potestatis civilis notio. III. 12.  
origo. III. 16. divisio. III. 22. Potestatis parentalis  
origo. II. 37. & seq. Hæc non semper exspirat  
cum morte parentum. II. 46. Ejus determinantur  
limites. II. 44. & seq.

*Procurator.* Cur constituatur, & quod ejus officium,  
III. 103. & 104.

*Pupilli.* Quinam dicantur. II. 47.

# R.

*Regimen.* Ejus in societate inæquali distinctio variæ:  
II. 13. & seq. Regiminis civilis formæ tres. III.  
22. Hæc possunt esse puræ aut mixtæ. III. 32.

*Regnum.* Hæreditarium distinguitur a successivo. III.  
38. Successivum dividitur. III. 39.

*Reus.* Ejus notio. III. 101. Obligatio III. 102.

# S.

*Servitutis* species variæ, II. 49.

**Societas.** Ejus notio. II. 4. In ea quatuor confideantur. II. 6. Ejus divisio. II. 7. & seq. duplex ejus forma. II. 9. In societate æquali, sive collegio ratin directionis locum obtinet. II. 10. & seq. Societas conjugalis v. matrimonium. Societatis parentalis notio & indoles. II. 34. & seq. Societatis majoris occasio. III. 4. & seq.

**Sponsalia.** Horum notio II. 32. Obligatio II. 33. Quomodo dissolvantur. *ibid.* Metu gravi & injusto extorta nulla sunt. II. 34.

**Subditi.** Eorum obligationes erga imperantem. III. 55. & seq. Erga communitatem. III. 59. Unius erga alium. II. 60. & seq. Eorum bona quando alienari & destrui possunt ab imperante. III. 80. & seq.

**Subjectio civilis** quomodo oriatur & definat. III. 61. Successio ab intestato quid sit. II. 62. Succedentes ab ipse testato personæ, earumque ordo II. 63.

**Suffragia** v. **vota.**

## T.

**Testamentum** quid sit. II. 56. quo jure transferat hereditatis dominium. II. 57. & seq.

**Tributa** alia sunt ordinaria, alia extraordinaria. III. 74. Jus ea exigendi. *ibid.* In ærarium referri, recte administrari debent. III. 77. & seq.

**Tutores** quomodo in jura parentum succedant. II. 47.

## V.

**Vota.** Horum notio & divisio. II. 11. Per ea fiunt conclusa in societate æquali. *ibid.* Ex eorum collatione quando & quomodo recte concludendum dantur regulæ. II. 11. & seq. Canonica quænam sunt, & quando requirantur. II. 13.

P.II. pag.	lin.	Errata.	Correcta.
15.	penult.	suppetitando	suppeditando
16.	3.	destinati	destinatae
24.	7.	consensſ.	consensus
30.	27.	earum	eorum
34.	penult.	semetipsos	semetipsag.
35.	26.	libros	liberos
39.	9.	libros	liberos
42.	13.	loqui-	loquitur
48.	27.	protestate	poteſtate
49.	5.	intemporariam	in temporariam
<b>P.III.</b>			
9.	od	perſe	per ſe
15.	24.	legiſlatori	legiſlatori
16.	23.	ordinatæ	ordinata
19.	25.	V	V
22.	16.	inviduum	individuum
23.	15.	adjecta	adjecto
23.	7.	proprietæ	proprie
27.	penult.	democratici	aristocratici
28.	30.	inficientia	inficientes
31.	1.	æternam	alteram
31.	15.	depotismum	despotismum
34.	16.	dirivativos	derivativos
36.	18.	CCCVIII.	CCVIII.
37.	10.	deſtitutæ	deſtitutæ
41.	20.	intelligum	intelligendum
.	.	facucultate	facultate
68.	5.	republicam	rempublicam
68.	13.	Aristotolem	Aristotelem
68.	15.	Aristotolis	Aristotelis.
71.	20.	republicam	rempublicam
71.	25.	perſruuntur	perſruuntur
74.	16.	a	ab
84.	ult.	partialitis	partialitatis,
96.	ult.	induuns	induunt
102.	3.	quofsi	quodſi
105.	22.	anixe	anxie
110.	19.	judiciis	judicis
110.	28.	22	2. 2.